De Aristotele Ciceronis in rhetorica auctore pars II.[1])

§ 6.

Rhetoricae finem in persuadendo posuisse Aristotelem, officium autem in considerandis iis rebus, quae accommodatae sint ad persuadendum, quoniam explicatum est, iam propius accedamus ad has res definiendas, ut possit diiudicari, num consentiat cum Stagirita Cicero certe in elementis eius notionis, qua non pariter et ille artis oratoriae proprietatem contineri statuit. Quaerendum est igitur, quidnam sit illud *πιθανόν*, quod attribuitur rhetoricae, qualis eius sit materies vel qua ex parte ea res aggrediatur. Est autem *πιθανόν* id, quo fides potest parari (rh. III 1 p. 1404 a 1): quam ob rem a rhetorica aliena sunt ea, quae sciuntur (rh. II 18 p. 1391 b 9 *περὶ ὧν γὰρ ἴσμεν καὶ κεκρίκαμεν, οὐδὲν ἔτι δεῖ λόγου* v. hui. commentat. p. I p. 11 cf. eth. Nic. III 5 p. 1112 a 1). Horum species quaedam cum iis, quae necessaria sint[2]) i. e. quae aliter se habere non possint, contineatur, haec aperte removet rh. I 2 p. 1357 a 6 I 4 p. 1359 a 33; de his enim consuli omnino negat eth. Nic. VI 2 p. 1139 a 14, de quibus autem non consulatur, ea ab arte dicendi separanda sunt. Universum hoc genus rerum, quae sciuntur, ad docendum pertinet met. I 1 p. 988 b 7, quod non debet commisceri cum persuadendo rh. I 1 p. 1355 a 26.[3]) Sunt igitur referenda ad *τὸ πιθανόν* ea, quae vulgo statuuntur, *τὰ ἔνδοξα* rh. I 1 p. 1355 a 17 cf. 1356 b 33, 1357 a 13, *τὰ κοινά* I 1 p. 1355 a 27, vel de quibus ambigitur (*ἐν οἷς ἐστι τὸ ἀμφιδοξεῖν* I 1. p. 1356 a 9) ideoque consulitur I 2 p. 1357 a 5, idque non tam a singulis quibusdam, quam vulgo (ib. v. 1 coll. 1356 b 36). Haec autem cum pendeant *ἐκ τῶν ὡς ἐπὶ τὸ πολύ* (de quibus consuli dicit eth. Nic. III 5 p. 1112 b 9), ea arti oratoriae subiecta sunt (I 2 p. 1357 a 32 sqq.) Ad omnia autem rhetoricae genera haec pertinere, cum de *ἐπιδεικτικῷ* separatim id demonstrare studeant[4]), intellegitur ex loco rh. II 18 p. 1391 b 9, ubi de iis, de quibus certum sit iudicium, verba non esse facienda, ad iudicium autem ferendum omnes spectare orationes dicit (v. 8, 12: *ὃν γὰρ δεῖ πεῖσαι, οὗτός ἐστιν ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν κριτής*); quam ob rem in omnibus generibus causarum subiecta sunt oratori ea, quae nondum diiudicata sunt. Quibus autem ex partibus in his

---

1) Continuatur commentatio, cuius pars I edita est anno proximo.

2) Anal. post. I 2 p. 71 b 15 v. ad lib. d. anim. III 10, 4 commentar. Trendelenburgii: cuius egregii viri et ante hos X annos magistri una cum Hauptii auctoritate ad has quaestiones suscipiendas impulsum me esse iam dissertat. meae pag. 59 extr. dixi.

3) In hoc quoque sibi constare Aristotelem apparet, cum omnia ad auditorem, in quo insit (rh. I 3 p. 1358 b 1) *τὸ τέλος*, qualibet in re summum (eth. Nic. I 5 p. 1097 a 21 sq.), referenda esse iudicet; eum autem ab eruditione alienum esse sumit nec aptum interiori rerum cognitioni, qualis docendo paratur.

4) v. Wiechmann. dissertat., quae in hui. commentat. p. I p. 4 laudata est, p. 17.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

singulis possit dubitari, explicat rh. I [illegible] p. [illegible] 29 a 16—23, atque in iudiciali etiam accuratius in constitutionum doctrinae initiis III 17 p. 1417 [illegible] 23.[1])

Dubitant, utrum ad rhetoricam pertineant τἀληθῆ[2]) an non: negat Vater. in observatt. p. 9 coll. P. Victor. commentar. p. 19 med. Florent. ed., Wiechmann. dissert. p. 19, ait Anton. in Mus. Rhen. XIIII p. 583 adnot. extr. Neglegere videntur, qui quam ex philosophi verbis ex ipsa potius rei natura diiudicaturi sunt quaestionem, discrimen intercedere inter ea, quae sint vera, eaque quae vera esse cognitum sit. Ea, quae vera sint, talia esse non raro argumentis demonstrandum esse nemo negaverit. Hoc discrimen non fugisse Aristotelem intellegitur ex eo loco, qui unus hanc rem tangit rh. I 2 p. 1356 a 20 ὅταν .. ἀληθές .. δείξωμεν .. coll. I 1 p. 1355 a 15 sqq. Optimo iure ex priore illo ipso loco colligitur minime ea, quae vera sint, secerni a rhetorica, dum modo ne talia ea esse manifestum, sed oratione probandum sit. Quae cum ita sint, quod quidem ad oratoris actionem et ad auditoris fidem pertinet, vera nihil differunt a rebus veri similibus, ut tota quaestio non magni sit momenti iureque a Spengelio in commentar. p. 46 plane praetermissa.

Non tam de rebus agi, quae sciantur, quam quae credantur, doceri potest etiam hoc, quod in veri similibus versantur singula πίστεων genera (quo ipso nomine differunt illa ab eo argumentorum genere, quod in rebus certis et ex principiis pendentibus positum est, ἀποδείξεσιν), imprimis πίστεις ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ, quibus quidem summum tribuit. Haec cum species quaedam sit eorum argumentorum, quibus utitur dialectica, cumque haec dialectica argumenta se contineant in ἐνδόξοις[3]), ne harum quidem aliam esse posse condicionem per se intellegitur clareque id de enthymematis indicat, cum eorum προτάσεις, enunciata igitur, e quibus illa componuntur, τὰ εἰκότα et τὰ σημεῖα, pauca τεκμήρια ac ne ea quidem plane firma (rh. II 25 p. 1403 a 13) esse dicat I 2 p. 1357 a 30 sqq. II 25 p. 1402 b 14—23, 25. Quae cum praeter τεκμήρια non in necessariis versentur, sed plerumque ἐν τοῖς ἐνδεχομένοις ὡς τὰ πολλὰ ἔχειν καὶ ἄλλως (p. 1357 a 15) et in τοῖς ὡς ἐπὶ τὸ πολύ (p. 1357 a 32 II 22 p. 1396 a 3), dissolvi ac refutari ea posse dicit lib. II cap. 25 altera parte: quales autem sunt προτάσεις, talia etiam συμπεράσματα esse eth. Nic. I 1 p. 1094 b 22 adnotat. In affectibus apparet idem, quibus

---

[1]) Illius de constitutionibus sive statibus doctrinae quae in eius arte inveniantur initia quaeque iam apud priores sint rhetores quo facilius perspiciatur, hunc eius conspectum addo:

Anaximen. c. 36 Spgl.	id. c. 5.	Aristotel. III 17.	id. III 15.	id. I 15 p. 1376 a 14.	id. I 13.	Hermag.	Rhet. Lat.
ἀντιλέγ. τ. πράγμ.	οὐδὲν ἔπραξεν	ὅτι οὐ γέγονεν	ὡς οὐκ ἔστιν	εἰ γέγονεν	πεπραχέν.	1. στοχασμ.	coniect.
ἐκ τ. συμφερόντ.	—	ὅτι οὐκ ἔβλαψ.	—	εἰ συμφέρ.	—	3. ποι-	iuridic.
—	(μικρ. βλαβ.)	ὅτι οὐ τοσόνδε	οὐ μέγα	—	—	ό-	adsumpt.
ἐκ τ. δικ. cf. c. 33.	ἔννομ., δίκ.	ὅτι δικαίως	οὐκ ἄδικον	εἰ δίκαιον	π. τ. ἀδίκ.	της	iur. abs.
—	καλόν κ. τ. λ.	—	οὐκ αἰσχρόν	—	—	—	—
—	—	—	οὐκ ἔχ. μέγεθ.	—	—	—	—
—	—	—	—	—	τ. ἐπίγρ.	2. ὅρος	definit.

Status iuridicialis adsumptivus alterum est genus status generalis, quo qualis res sit quaeritur (Cic. d. inv. I 10 partit. 101 d. or. II 106). De statu iuridiciali absoluto v. rhet. ad Her. I 24 Cic. d. inv. I 15 partit. 101. Locis a Spengelio in commentar. rhet. Arist. p. 180 prolatis addi potest is, quem supra tertium commemoravi, rh. I 15, ubi quibus in quaestionum generibus testes usui esse possint explicatur. Perfectam in his non inesse statuum doctrinam cum manifestum sit, utile visum est eam conferre cum tabula accurata facilique ad perspiciendum, quae a Volkmanno (de rhetorica Graecorum et Romanorum p. 29) exhibetur.

[2]) Hoc ne quis cum iis commisceat, quae in commentat. p. I p. 3 med. dicuntur, illo loco agitur de oratoris moribus atque fide, hoc de logica facultate: expetenda est oratori in rebus incertis veritas, res autem, quas veras esse constat, non praecipue eius sunt quasi campus, sed modo admittuntur (v. quae supra disputantur).

[3]) Testimonia collegit Anton. in Mus. Rhen. l. l. p. 575.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

potius ad consilia ex iis, quae probabilia videantur, temere capienda impelli quam aptos fieri ad verum indagandum homines manifestum est; ac ne in moribus quidem (τῷ ἠθικῷ) quidquam aliud inesse facile intellegitur.

Quae cum ita sint, ea, quae valeant ad res ambiguas, veri similia igitur et quae vulgo statuantur, rhetoricae subiecit Aristoteles, qua re docendi facultas ab ea separatur. Hoc eam a caeteris disciplinis excepta dialectica differre statuit[1]), quarum quidem est persequi res ad principia. Cohaeret cum hoc, quod certae iis sunt rerum regiones, id quod in rhetorica non pariter se habet: sed hoc ad eam quaestionem delabitur, quae postea aggredienda est.

Cicero his de rebus quid existimet satis clare indicat. Agi de rebus ambiguis, quae non plane explicari et illustrari possint, non quidem expresse dicit; leviter id tangit d. or. II 5: omnia, quaecumque in hominum disceptationem cadunt, bene sunt ei dicenda, qui hoc se posse profitetur. Sed colligitur ex accuratiore constitutionum explicatione; ex hoc enim intellegitur summam quaestionem, quae oratione tractetur, revocandam esse ad aliquid ambigui; nam cum de re ipsa non dubitetur, certe de eius qualitate aliqua ex parte disputari posse (or. 126 s f.) oportet, unde varia statuum genera oriuntur (d. or. II 105, 132, 331 III 70 partit. 33, 101 or. 45, 121 top. 81). De argumentorum natura aut generibus nihil docet in constitutionum doctrina maxime haerens; repetenda autem illa esse e vulgaribus sententiis itaque has oratori sequendas esse non semel diserte dicit d. or. I 12 (cf. Muelleri explicationem huius loci in Seebodii miscellan. crit. II 1823, 506 sq.) 108, 223 III 66, 123 (ad civilem scientiam transferantur) partit. 79 (eloquentia est copiose loquens sapientia . . . ad vulgi sensus accommodatior), sicut etiam, quem ad modum elocutionis ubique rationem habet, dicendi genus non a vulgari dictione abhorrere debere dicit d. or. II 159 extr. III 66 Br. 114 s. f., or. 64 philosophorum sermonem, quod nec sententiis nec verbis instructus sit popularibus, convenire orationibus negat; eodemque loco philosophorum ab oratoribus discrimen simul in eo ponit, quod illi docendi, hi capiendi causa verba faciant. De affectibus moribusque nihil explicat, quod huc referatur: sed in his cum extra probabilitatem omnino non prodeatur, ne eum quidem aliter de his iudicasse putandum est. Alia autem πίστεων genera ne is quidem commemorat. Quibus omnibus ex rebus satis intellegitur in hoc cum Aristotele consentire Tullium. Inventionem oratoriam in tres partes distribuens quod unam earum docendi officium esse statuit (d. or. II 121, 128 d. opt gen. or. 3 Br. 185 all.) in hoc minime accurate intellectum, sed latiore sensu verbum usurpatur, ut ad probandum pertineat. Nec magis illi obstat sententiae, quod top. 81 θέσει, quam illo loco adnumerat rhetoricae, propositum esse dicit, ut efficiat scientiam, quae vox non magis accurate dicta, sed explicanda est ex actionum oppositione. Accedit, quod ex iis disciplinis, ex quibus pendet rhetorica mutuans ab iis materiam, sententias ita sumendas esse dicit, ut ad civilem transferantur scientiam (d. or. III 123). Idemque iudicat or. 181, cum aliud persuadendi, aliud eloquendi esse genus dicendi statuens quaerat, utrum conveniat oratori, cuius scilicet non tam sit docere quam persuadere.

His igitur in praeceptis cum consentiant scriptores, minime tamen philosophi auctoritatem in hoc secutum esse Tullium inde apparet. Nam in universa arte nisi plane ab illius ratione abhorrebat, aliter hoc in genere iudicare non poterat. Ac ne quis, quia priores artium scriptores, quot eorum monumenta exstent, de ea quaestione expresse non disputarunt, primum hunc in ea re ad Stagiritae sententiam rediisse arbitretur, Cicero de tota hac re nisi obiter non indicat, quid sentiat, id quod, si a vulgari doctrina in ea discessisset aut si certe quid novi aut quod a prioribus neglectum esset ad disciplinam se afferre putasset, apertius profecto dixisset. Quare credibile est non plane id a prioribus,

[1]) cf. Rinnii commentat. in progr. gymn. Cizens. a. 1860 p. 7 extr., cuius libelli § 3 veteris et Graecae et Latinae rhetoricae ingenium acute describitur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

qui artem dicendi explicabant, omissum esse, imprimis a philosophis, quibus quidem propinquum erat eius modi res tangere. Hoc igitur utriusque scriptoris in consensu non tamen ex Aristotelis doctrina artem Ciceronis pendere atque etiam minus hunc primum ad eam rediisse existimandum est.

§ 7.

Sequitur, ut quaeratur, quibus de rebus sit rhetorica. Dicit philosophus eam esse *περὶ ἕκαστα* rh. I 2 in. Atque definitam propriamque nullam ei tribui materiam apparet rh. I 2 p. 1355 b 34 *οὐ περί τι γένος ἴδιον ἀφωρισμένον ἔχει τὸ τεχνικόν* et 1356 a 33 *περὶ οὐδενὸς γὰρ ὡρισμένου . . . ἐστὶν ἐπιστήμη*. Nulla igitur de re ex arte agit atque exquisite, quae altera eius a caeteris disciplinis est differentia arte cum ea, quae p. 3 commemorata est, cohaerens. Sed ut certae nullius rerum regionis velut domina haec est ars, ita ne ulla quidem ab eius vi exclusa est: neque enim abhorrere rhetoricam a singularum disciplinarum materia Aristoteles statuisse[1]) putandus est rh. I 1 p. 1354 a 3: quo loco non tam id explicatur, quibus finibus circumscripta quantaque, quam qualis sit materia artis dicendi, cum hanc in iis vim suam exercere dicat, quae non artis definitae sint, sed quae vulgo de rebus statuantur,[2]) minime vero „non in iis rebus, quae artis cuiusdam definitae sint:“ immo cum ibi agatur de similitudine atque propinquitate rhetoricae et dialecticae, quoniam hanc alteram a nullius disciplinae materia rebusque alienam esse constat, ne de rhetorica quidem aliter iudicandum esse intellegitur. Omnino nihil ex iis locis effici posse, quibus, si quis ad ipsas *ἐπιστήμας*, accurate nimirum et ex arte perquirendas, aut ad earum *ἀρχάς* progressus sit, in rhetorica eum iam versari negat philosophus (I 2 p. 1358 a 23, 4 p. 1359 b 12), cum iis potius de subtilitatis gradu quam de disciplinarum materia quaeratur, vix est cur expresse dicam: hoc ipso, quod illi subtilitatis differentiae tantum tribuit, per se in materia nullum positum esse discrimen rhetoricae caeterarumque artium tacite concedi videtur.

Sed cum *περὶ ἕκαστα θεωρῆσαι τὸ ἐνδεχόμενον πιθανόν* artis oratoriae esse dicatur, hoc autem minime ad omnes res eiusdem sit momenti, non ad omnia pariter rhetoricam valere intellegitur. Usus eius paene nullus est quibusdam in disciplinis, sicut de mathematica id plane dicit eth. Nic. I 1 p. 1094 b 26, nec aliter de aliis quibusdam inferioris generis artibus iudicat ib. III 5 p. 1112 b 5. Licet doceatur ne harum quidem artium materias omnino a rhetorica esse separatas,[3]) cum, qui res mathematicas perspicere non queant, iis, qui doceant illas, fidem habere possint si non firmis adducti rationibus at certe levioribus et ex usu repetitis facilibusque ad intellegendum aut *τῷ ἠθικῷ*, cum ob auctoritatem fidemque credatur huic, qui eiusmodi res explicet: ad usum nullius id est momenti. Quare illis verbis *περὶ ἕκαστα* non nimium tribuendum est; quocum convenit Spengelii sententia, qui

---

[1]) Hoc a R. Wiechmanni amici sententia me differre video; cf. eius dissertat. p. 11.

[2]) Verba illa *ἀμφότεραι γὰρ περὶ τοιούτων κτλ.* hac ratione reddiderim Germanice: beide betreffen solche gegenstände, deren verständniss bis zu einem gewissen grade gemeingut aller ist und nicht fachwissenschaftliche kenntnisse voraussetzt.

[3]) Nullius disciplinae a materia alienum esse *τὸ πείθειν* colligi potest ex rh. I 2 p. 1355 b 28 sqq. *τῶν γὰρ ἄλλων ἑκάστη περὶ τὸ αὐτῇ ὑποκείμενόν ἐστι διδασκαλικὴ καὶ πειστικὴ οἷον ἰατρική . . . καὶ γεωμετρία . . καὶ ἀριθμητική*, cui loco quamquam summum esse propositum iam Schmidt. in programm. Witteberg. (quod in hui. commentat. p. I p. 17. laudatum est) 1860 p. 3 adn. docuit non tam hoc, „ut rhetorica (sicut Astio videatur) esse *πιθανή* dicatur, reliquae artes *διδασκαλικαὶ καὶ πιθαναί*, quam ut reliquae artes in certo quodam rerum genere explicando se contineant, rhetorica autem ad omnes, quaecumque sint, pertineat,“ tamen illud, de quo hic agitur, subesse apparet; sed etiamsi ne a caeteris quidem artibus *τὸ πείθειν* abhorret, tamen, cum hic non summus earum sit finis, iure *τὸ πιθανὸν θεωρεῖν* proprium esse rhetoricae, quae quidem nihil aliud tractet idque *θεωρεῖ περὶ ἕκαστα*, dici potuisse manifestum est.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

his verbis nihil aliud significasse scriptorem recte dicit qu disputatione quae vocetur, artem esse rhetoricam, quae nisi qualibet de re *τὸ πιθανόν* nihil conside lucantur qu e autem disciplinae, ad quas aliqua ex parte *τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πολύ* et *τὰ ἔνδοξα* pertineant ricae ab e a[1]) eth. Nic. III 5 p. 1112 b 1—10 VIIII 2 p. 1165 a 13 sq., in qua ad quam subtilitat possit ascendi, hanc a mathematica differre ipsa vulgari consuetudine dicendi[2]) Aristoteleam originem referente docemur) minime ab arte oratoria alienae sunt: cf. Alexandr. Aphrodis. ad Aristot. top. p. 4. Br. *καὶ περὶ ἰατρικῶν ὁ ῥήτωρ λέγει καὶ περὶ φιλοσόφων καὶ περὶ μουσικῶν.* Et est exemplum quaestionis ethicae, quam oratori proponi posse iudicat rh. II 22 p. 1396 a 32 *περὶ δικαιοσύνης εἰ ἀγαθὸν ἢ μὴ ἀγαθόν.*[3]) Idemque ex dialecticae et rhetoricae similitudine colligi potest, quae consentiunt inter se in rebus (rh. I 1 p. 1354 a 1 sq coll top. I 11 p. 104 b 1. v. Anton. l. l. p. 575), differunt rationibus, quas sequuntur. Ex rh. I 2 p. 1358 a 11—13 de rhetoricae materia nihil intellegitur; neque enim quod ad dicendi artem *τόπους* valere dicit, quae sunt pariter *περὶ δικαίων καὶ φυσικῶν καὶ περὶ πολιτικῶν καὶ περὶ πολλῶν διαφερόντων εἴδει,* inde etiam haec omnia sub oratoris vim subicienda esse sequitur. Quibus ex disciplinis pendeat rhetorica et quoad in illis oratori versandum sit, infra § 10 explicabitur.

Etsi quaestiones illas universales, quas postea ad *θέσιν* revocaverunt, non ab arte oratoria separavit Aristoteles, praecipuum tamen in ea non tenent locum: cf. P. Victor. commentar. p. 29 ed. Flor. ad rh I 2 p. 1355 b 33 *περὶ τοῦ δοθέντος ὡς εἰπεῖν κτλ.* „intellegit materias esse quasdam valde remotas a studio oratoris et in quibus artificium oratoris minus valeat.“ Quibusnam rebus detulerit primas cum quaesiverint (velut Riccobonus ad rh. I 2, cuius disputationem Spengel. respicit in specim. comment. a. 1839 ed. p. 18, in commentar p. 35), ex generum divisione id diiudicari non potest, quae quidem minime ex natura materiae eorum seiunxerit, neque de hac quidquam in iis ipsis illustrandis dicit. In civilibus potissimum rebus versari rhetoricam ex hoc apparere videtur, quod universa ars dicendi politicae subiungitur (eth. Nic. I 1 in. X 10 p. 1181 a 15), quamquam id simpliciter fit, finibus utriusque artis non accuratius terminatis. Rh. I 2 p. 1356 a 27 non idem significari, quamvis congruant verba, facile concedet, qui eius loci rationem perspexerit, quamquam idem ille locus alio sensu intellectus respicitur I 4 p. 1359 b 11. Praeterea ex singulis iis, quae proferuntur in explicandis ipsis rhetoricae generibus, imprimis I 4 p. 1359 b 11, 17—18, 21 sqq., I 7 p. 1365 b 23, 1368 a 1 sq. I 13 p. 1373 b 1 sqq. intellegitur maxime in republica artem dicendi versari ideoque de rebus civilibus esse. Sed in his pendet ex temporibus scriptor rebusque mutatis alia est artis condicio, sicut in recentiorum rhetorica diu regnavit oratio sacra. Caute igitur et prudenter *περὶ ἕκαστα* dicendi artem esse statuit neque ex materia causarum genera diiunxit philosophus, ut eius et definitio et divisio omnibus pariter accommodata sit temporibus vereque illum, cum ex arte disponeret rhetoricam, tamen ab usu minime alienum fuisse dici potuerit hui. commentat. pt. I p. 6 med.

Deinceps quaerendum est, quibus in rebus Cicero vim suam exercere statuat artem oratoriam. Non minus quam Stagirita omnibus de rebus eam esse dicit d. or. I 21 „vis oratoris professioque ipsa bene dicendi hoc suscipere ac polliceri videtur, ut omni de re, quaecumque sit proposita, ornate ab eo copioseque dicatur;“ ib. 64, 70 II 5 in. „omnia, quaecumque in hominum disceptationem cadere possunt, bene sunt ei dicenda, qui hoc se posse profitetur, aut eloquentiae nomen relinquendum est.“ III 76 „illa vis eloquentiae tanta est, ut . . . omnia, quae ad quamcunque rem pertineant, ornate copioseque dicat.“ ib. 126 „quantam rerum varietatem, quantam vim, quantam copiam, Crasse, complexus

[1]) v. part. I p. 10 in.

[2]) v. quae recentiores philosophi de fidei et scientiae (dicunt moralische, — mathematische gewissheit) differentia disputant: Kant. opp. III p. 244 ed. Rosenkr. all.

[3]) Inseri potest hic locus copiosae illi Anton. commentat. p. 575.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

es quantisque ex angustiis omissum esse cere ausus es et in maiorum suorum regno collocare; namque illos veteres dicitur utriusque presque dicendi nullum genus disputationis a se alienum putasse accepimus semperque eisdem atque orationis ratione versatos.“ In hoc igitur consentit ille cum Aristotele: sed quaerendum est, num excluserit Tullius a rhetorica ea, quae singularum sint disciplinarum. Harum cognitionem quod oratori necessariam esse dicit, ex hoc non magis quam supra de philosophi sententia quidquam colligi posse apparet: posset, si ea teneretur a Tullio sententia, quae Crassi in primo d. or. libro est: quaecumque oratori in ipsis orationibus usui esse possent ideoque essent adhibenda, eius esse propria eique perspicienda; in quo, quid differant popularis rerum notitia et accurata earum scientia, neglegitur attribuunturque rhetoricae sicut philosophiae res universae, quas ea explicat ornata dictione. Sed hanc ipse eius auctor mittit sententiam in libro tertio, cum propius ad Stagiritae accedens iudicium reliquas artes velut adminicula rhetoricae esse existimet, in quibus haec non totis versetur. Ex artis autem oratoriae definitione, quae quidem reperiatur in eius libris, si quid efficere volumus, non tam de πιθανῷ, quem ad modum apud Aristotelem, quam de iis, quae ornatae elocutioni accommodatae sint, agitur (v. hui. commentat. § 4[1]) pt. I p. 20); sed in ipsis materiae rhetoricae finibus ex diversis his rationibus describendis consentiunt: neque enim quidquam hac ex parte Tullius exclusit; cf. d. or. I 64 „quaecumque res inciderit, quae sit dictione explicanda.“ Ubi philosophi et poetae removentur a rhetorica, or. 62 sqq., hi quidem ipsa dicendi forma separantur, illi qua ex parte ornatam spernant et copiosam dictionem. Nominantur autem nullae artes, quae abhorreant ob naturam suam a rhetorica. Quid, quod ne mathematicae quidem exemplo uti dubitat (d. or. I 61), cui „ad oratoris facultatem confugiendum sit, si quis eam illustrare velit oratione.“ Concedit autem l. l. 65 tantum, quantum cuique videatur, excludi posse a rhetorica; unde manifesto apparet, si qui fines fiant materiae artis oratoriae, eos quam ex artis natura potius scriptoris ex arbitrio describi.

Propius autem ad hanc de rhetoricae materia quaestionem aggredimur Ciceronis de thesi et hypothesi doctrina examinanda. Agitur nimirum non de hac ipsa distinctione, qua quidem careat philosophi ratio, sed et de eo, quid cuique horum generum subiungatur a Tullio, et adnumereturne utriusque generis materia arti oratoriae. Atque de illo iam supra obiter indicavimus, ad thesim (or. 46 top. 79) — quam dicit[2]) quaestionem infinitam et quasi propositam consultationem d. or. III 109 partit. 4, infinitae rei quaestionem d. or. I 138, infinitum genus quaestionum ib. II 41 top. 79, propositum partit. 61 top. 79, universi generis quaestionem or. 125, communem univ. gen. quaestionem Brut. 322, infinitam de universo genere quaestionem d. or. III 109, quaestionem a propriis personis et temporibus ad universi generis orationem traductam or. 46; simpliciter autem vocaverat quaestionem d. inv. I 8 — revocari quaestiones ex singulis disciplinis repetitas, cuius rei permulta sunt exempla d. or. III 113 sqq.; contra ad hypothesim (top. 79) — vocat causam d. or. II 78 partit. 4 top. 79, quaestionum genus definitum top. 79, quaestionem definitam partit. 4, certum genus quaestionum d. or. II 41, rem certis in personis ac temporibus locatam ib. I 138, genus causarum, quod personis certis et temporibus definitur ib. II 133, finita controversia certis temporibus ac reis ib. III 109, propriam ac definitam disputationem hominis ac temporis Brut. 322; d. inv. I 8 causam — res in ipsa vita usuque positas, civiles igitur atque iudiciales potissimum, quae cum iis, quas paene solas consideravit Aristoteles, convenire putandae sunt.

Hypothesis igitur quin ad rhetoricam referatur, omnino dubitari non potest, cum, quo tempore ars dicendi nondum a re publica recesserat, Cicero libros scripserit; thesis autem ad rhetoricam non

---

[1]) Ad illum quaestionis locum laudari poterat Rinnii commentat., quae supra p. 3 laudata est, p. 9 extr.

[2]) Horum locorum tres iam a Volkmanno in libri, qui pt. I p. 13 laudatus est, p. 21 allati sunt. Eorum quinque ad Piderit. edit. Ciceronis de oratore librorum praefat. II 2 adnotat. 5 addi possunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

admittitur, nisi qua ex parte serviat hypothesi (in Antonii disputatio d. or. II 68[1]) partit. 61, top 80 or. 47, 125 Brut. 332), cum res singulae ad universas traducantur quaestiones, quos locos communes dicit d. or. III 106 or. 47 all.; per se has quaestiones rhetoricae ab eo non subici facile hinc apparet. Consentit igitur in hoc Tullius non quidem cum ea ratione, quam in Aristotelis libris subesse vidimus, sed cum ipsa eius explicatione artis, cum ad quaestiones, quae a posteris θέσει adnumerantur, Stagirita non propius accedat. At ne in hoc quidem philosophi doctrinae cognoscitur vis. Potest quidem conici Ciceronem Aristotelis auctoritate adductum esse, ut ea tantum, quae ab hoc aperte subiciantur arti oratoriae, res civiles, omnino huic attribueret, praesertim cum in hoc, quod ne in ratione quidem thesim et hypothesim eiusdem esse ad rhetoricam momenti concedat, a prioribus artis dicendi magistris, quorum princeps est Hermagoras, differat. Sed hos non magis persecutos esse in artibus suis quaestiones infinitas ipse dicit d. or. III 110: qua in re illos philosophi exemplum secutos esse minime tamen putandum est, a quo vehementer discrepant tota hac ipsa materiae divisione.

Ad omnia igitur cum Tullius referat rhetoricam, re vera autem praecipue in rebus civilibus collocet, consentit cum Aristotele, sed pendeatne in eo, quod thesim neglegat, ex philosophi doctrina, omnino non potest plane diiudicari, veri simile certe non est.

§ 8.

Rhetoricam abhorrere a docendo et in ἐνδόξοις versari proptereaque huic res omnes subiectas esse cum viderimus, cumque haec ei cum dialectica communia sint, non alienum esse ab hoc loco videtur, quem ad modum supra apparuit, quid differat a caeteris disciplinis ars oratoria, quaerere, quid inter hanc et dialecticam intercedat, in quo igitur consentiant quoque differant. Ac primum hac de re libri primi initio Aristoteles haec dicit: ἡ ῥητορική ἐστιν ἀντίστροφος τῇ διαλεκτικῇ. His cum alii similitudinem, differentiam alii significari statuerint (v. Riccoboni paraphras. rhet. Aristot. p. 12), ut quid dicat philosophus inveniatur, primum quid illud ἀντίστροφον sit considerandum est, nec admiscenda sunt ea, quae aliis locis de harum artium ratione iudicat philosophus.[2]) Scripserunt autem de hoc verbo imprimis Muretus (opp. ed. Ruhnken. 1789 III p. 738 sqq.) et Heydler. in libello scholastico, qui inscribitur: de Platonis Philebo et ἀντίστροφος vocis vi (ed. Francofurto Viadrino 1844) p. 11—19. Qui cum „ex etymologia quidquam non nullius momenti derivari posse" simpliciter neget, non recte videtur iudicare.

Ἀντιστρέφειν verbo cum significetur rem ita verti, ut contrariam sequatur regionem, aut, si de duarum rerum contrariis inter se motibus agatur, ut altera in alterius traducatur locum,[3]) ἀντίστροφος primum de iis rebus dicitur, quae sicut ex communi fundamento profectae in contrarias partes abeunt,

---

[1]) D. or. III 111 quod tota haec disiunctio tollitur et utriusque generis materia alio modo distinguitur, id huc, ubi quaeritur, pertineatne θέσεως materia ad rhetoricam, nihil valet, cum excludaturne an adnumeretur illo loco non indicatum sit. Neque ex eo, quod Tullius ib. I 22 in iudiciali et contionali potissimum eloquentia se versaturum esse dicit, quid de materiae finibus e ratione terminandis iudicet, cognoscitur.

[2]) Ab his cum proficiscatur Heydler. in programm., quod supra commemoratum est, p. 17, imprimisque ab loco rh. I 2 p. 1356 a 31 (ἐστὶ γὰρ μόριόν τι τῆς διαλεκτικῆς) non satis clare rem a Stagirita perspectam esse arbitratur: „welche verwirrung, mit platonischen augen angesehen!" At verendum est, ne parum Platonis ex sententia rem iudicaverit ipse; nam qui propius ad utriusque de vocis vi sententiam accesserit, nullum esse dissensum minimeque in Aristotelis libris rei perturbationem inesse animadverterit.

[3]) De grammaticorum, qui translate utuntur hoc verbo, usu dicendi v. Ernesti lex. techn. rhet. gr. p. 31, de metricorum Muret. l. l. p. 739 cf. Dionys. Halic. de comp. verb. p. 224; de logicae rationis significatione Heydler. l. l. p. 19 et Waiz. ad Aristot. organ. II p. 373 sq. de anal. pr. I 2 p. 25 a 6; de mathematicis Muret. l. l. p. 740, de rhetorum artificio quodam v. Dionys. Halic. rhet. p. 210 ed. Schott. coll. Gell. Noct. Att. V 10.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

velut de costarum paribus vox usurpatur (Jul. Pollux II c. 57). Latius autem illud sic extenditur, ut *ἀντίστροφος* ad ea omnia referatur, quae in eodem genere et tamquam circulo rerum contraria sint, nec minus ad ea, quorum „alterum velut alterius partes agat idque repraesentet in alio genere." Translate ita *ἀντίστρ.* usurpatur de „re contraria alteri, quam potestate aequiparat;" similitudo igitur atque communis ratio, qua coniunctae illae tenentur, inest in potestate: Aristot. d. gen. an. II 6 p. 743 b 28 (v. Waiz. organ. II 374). Commune autem illud ac simile potest contineri rerum inter se relatarum ratione, ut *ἀντίστροφος* idem fere sit atque *ἀνάλογος*, velut Plutarch. (*πῶς δεῖ τὸν νέον ποιημάτων ἀκούειν*) poeticam *ἀντίστρ.* picturae dicit. Pariter res se habet, cum Plato in rep. VII musicam dicat *ἀντίστρ. γυμναστικῆς*, quia, quod haec in corporibus, idem efficit illa in animis, similiterque in Tim. 87 C, Phil. 40 D, 51 E, denique in Gorg. 464 B, 465 D. Extremi autem hi loci propterea magni sunt momenti, quod, cum ad eorum alterum respicere Aristotelem iure dicat Spengel. commentar. p. 2, quamvis per se nihil obstet, ne verbi vim latius is extenderit aut aliquanto immutaverit, tamen, nisi clare hoc apparuit, eandem Stagirita retinere sententiam putandus est. Priore igitur illo Gorgiae loco cum haec exhibeat: *τῆς πολιτικῆς (λέγω) ἀντίστροφον μὲν τῇ γυμναστικῇ τὴν νομοθετικήν, ἀντίστροφον δὲ τῇ ἰατρικῇ τὴν δικαιοσύνην*, quae inter se respondeant et in quo similitudo ac velut proportio insit, manifestum est, nec minus intellegitur altero loco, quem affert Spengel. l. l. (*φημὶ*) *τὴν ῥητορικὴν ἀντίστροφον ὀψοποιίας ἐν ψυχῇ ὡς ἐκεῖνο ἐν σώματι.* Ipsius autem Aristotelis in pol. VI vulgo IIII 5 p. 1292 b 7, 6 extr., 10 s. f. in part. an. III 17 p. 661 a 27 eadem legitur vox eadem sententia usurpata (v. Bonit. ind. Aristot.). Sed si haec obiectio duarum notionum, utriusque autem sub commune quiddam complexio tam necessaria est, ut altera sine altera nec esse possit nec cogitari, in *ἀντίστροφος* voce inest vis reciproca, sicut apud Aristotelem in categ. 13. p. 14 b 30. Similitudo rerum atque propinquitas maxime elucet, cum significentur notiones, „quae ita inter se respondeant, ut, quod una habeat proprium, etiam alteri adsit ideoque altera in alterius locum substitui possit" (Trendelenburg in elem. log. Aristotel. ad. § 14) velut categ. 5 p. 2 b 21 caeterisque locis, qui ab hoc l. l. exhibentur; potes addere Porphyr. isagog. c. 12 s. f. Hanc alteram autem significationem *ἀντιστρόφου* vocabuli ab eo, de quo agitur, loco alienam[1]) esse quamquam manifestum est, clarissime tamen hac ipsa docetur id, quod explicare propositum est, nec minoris momenti rem alteram esse earum, quae *ἀντίστροφοι* esse dicantur, nec alteram altera comprehendi. Rhetoricam igitur philosophus dialecticae aliqua ex parte similem, ex aliqua autem ei contrariam esse iudicat; utrum id, quod consentiant, an quod differant, significare voluerit, ex ipsa voce nullo modo diiudicari posse iam supra indicavimus: sed utcumque res est, certe non subiungitur sub dialecticam rhetorica.

Ab hac autem sententia abhorrere videtur alius quidam locus (I 2 p. 1356 a 31), quo non par utrique tribuitur arti, sed rhetorica dicitur *μόριόν τι τῆς διαλεκτικῆς καὶ ὁμοία,*[2]) ex quibus cum iis, quae modo illustrata sunt, consentit hoc alterum *ὁμοία*, ut ad id solum illa *καθάπερ καὶ ἀρχόμενοι εἴπομεν* referenda sint; qua ex parte similes sint, statim explicat philosophus: ex hac nimirum, quod utriusque eadem est materia, *ἀμφότεραι γὰρ περὶ τοιούτων τινῶν εἰσιν, ἃ . . ἐστὶ γνωρίζειν . . οὐδεμιᾶς ἐπιστήμης ἀφωρισμένης* I 1 in. *περὶ οὐδενὸς γὰρ ὡρισμένου οὐδετέρα αὐτῶν ἐστιν ἐπιστήμη* I 2 l. l. Sed cum rhetoricae ea tribuat argumenta, quae species tantum sint eorum, quibus utatur dialectica,

---

[1]) Illam ad hunc refert vetus quaedam interpretatio, cuius specimen (e cod. bibl. Sorbon. 1779) Jourdain. in libro de Aristotelis oper. conversion. (reddit. German. ab Ad. Stahr. 1831) p. 402 adn. 44 est, ubi „conversibili" vocabulo exprimitur *ἀντίστροφος*.

[2]) Libri manu scripti *ὁμοίωμα* exhibent. Fortasse in verbis *μόριόν τι* librariorum inest error, ut non opus sit artificiosa explicatione, quae supra est proposita. Quod si statuitur, plana haec effici poterit sententiarum ratio: sunt qui cum politica coniungant rhetoricam falso; est enim, ut supra diximus, propinqua dialecticae.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ea ex parte sub hanc disciplinam cadit illa. Quod quamquam nondum (velut) loco apertius explicatum est a scriptore, sed leviter tactum (1356 a 4, 20 coll. 37 sqq., ubi revocari rhetorica argumenta ad dialectica, quibus adhaerent), tamen ut iam occurratur errori, strictim dicitur. Ad materiam igitur quod attinet *ὁμοία ἡ ῥητορικὴ τῇ διαλεκτικῇ*, quod ad argumentorum formas *μοριόν ἐστιν*.[1]) Alia ex parte hoc alterum dictum esse qui neglexerit sicut Heydler. (v. l. l.), is aut sibi ipsum non constare philosophum, aut si, quem ad modum ille, periculum fecerit prioris illius loci ex his verbis *μόριόν τί ἐστιν* explicandi miram *ἀντιστρόφῳ* voci vim tribui potuerit opinari.

Alio quodam loco I 2 p. 1356 a 26 rhetorica *οἷον παραφυές τι τῆς διαλεκτικῆς* dicitur, qui locus ne pariter intellegatur atque is, de quo modo diximus, per se nihil obstat; nam tamquam stolo dialecticae ars oratoria propter rationem, quae inter utriusque argumenta intercedit, dici potest; et haec P. Victorii et Spengelii (de Aristot. rhet. in actt. academ. Monacens. VI (1851) 2 p. 467 c. adnot. 2) videtur esse sententia.[2]) Attamen obstant verba I 4 p. 1359 b 9: *ὅπερ καὶ πρότερον εἰρηκότες τυγχάνομεν ἀληθές ἐστιν, ὅτι ἡ ῥητορικὴ σύγκειται ἐκ τῆς ἀναλυτικῆς ἐπιστήμης καὶ τῆς περὶ τὰ ἤθη πολιτικῆς.* Nullus enim est in iis, quae antea explicata sunt, locus, ad quem haec possint referri; ad universam autem de rhetoricae natura, imprimis de eius *πίστεων* vi ne ea pertinere putemus, ipsa verborum forma videmur prohiberi. Quare dialecticae nomine logicam significari statuendum est, velut fit I 1 p. 1355 a 9; ibi enim necessario hanc intellegi disciplinam iam P. Victorius adnotavit; apparet autem ex verbis l. l. v. 14. Hoc fieri posse eo explicandum fuerit, quod cum logica eorum, quibus utatur dialectica, argumentorum vim atque naturam pervestiget, si haec ratio ad usum accesserit, eodem dialecticae nomine utrumque, et ratio et usus, comprehendi possit idque iis quoque locis usurpetur, quibus ratio potissimum, quae in hac coniunctione comprehensa est, respicitur.[3])

His ita constitutis quaerendum est, quid inter utramque artem simile intercedat; id quod Alexander Aphrodis. in top. commentar. in bene definivit. Accurate hac de re disputasse aliis, quam quae a Stagirita respiciuntur, similitudinibus investigatis ferunt Thurotum in studiis Aristotel. p. 154 sqq. 242 et in libro, qui de rhetorica aliisque eius operibus est p. 12.

Ac primum utraque ars versatur in *κοινοῖς, ἐνδόξοις;* locos, qui ad dialecticam pertinent, collegit Anton. l. l. p. 573—4, de rhetorica supra diximus § 6. Atque huc pertinet illud *ἀντίστροφος ἡ ῥητορικὴ τῇ διαλεκτικῇ*, ut superiorem iam supplere possimus quaestionem (v. p. 8). Nam illo loco de similitudine agi[4]) intellegitur ex iis, quae addit philosophus, eundem esse utriusque artis velut campum, in quo versetur, et inest in sententia illa haec proportio, ut quod inter *τὸ ἐξετάζειν καὶ τὸ ὑπέχειν λόγον* et *τὸ ἀπολογεῖσθαι καὶ τὸ κατηγορεῖν* (quibus omnia dicendi genera significantur), idem inter dialecticam et rhetoricam intercedat. Cohaeret cum his, quod aliqua ex parte omnes harum sunt participes rh. I 1 p. 1354 a 2, 4—6, omniaque illis attribuuntur l. l. v. 3; separatim id de dialectica dicitur etiam an. post. I 11 p. 77 a 29, de rhetorica rh. I 2 in.

Alterum autem est, quo congruunt inter se hae duae artes, id, quod *αἱ αὐταὶ τῶν ἐναντίων*

---

[1]) Quare illa verba hoc modo interpretor: die rhetorik ist (in dieser hinsicht) ein theil der dialectik, andererseits (*καὶ*) wie am eingang gesagt ist, ihr nebengeordnet, insofern keine von beiden u. s. w.

[2]) Aliter alio loco (de vet. stud. rhet. 1842 p. 21) hunc iudicare de his verbis, cum argumentorum formas similes, materias diversas esse statuat, p. 10 adnotabitur.

[3]) Non recte rhet. I 1 in. ad logicam refertur, sicut a Twesten. in logic. explicatione 1825 ed. fit p. 3. Namque logica non in *ἐνδόξοις* versatur ut disserendi et dicendi artes.

[4]) Hanc ob causam veteres *ἀντίστροφον* interpretantur *ἰσοστρόφῳ* voce; inter nostrates Spengelius dicit „correlat," Stahr. „entsprechendes seitenstück," Knebel. minus accurate substituit „verwandt." 'Qui proportionis potestatem subesse teneat, maxime illi convenire existimabit „analog."

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

εἰσὶ δυνάμεις, eandem igitur rem in utramque partem possunt tractare,[1]) id quod, ut de sola dialectica dixit Aristoteles top. VIII 14 p. 163 a 37, VIIII (soph. el.) 15 p. 174 b 19 sqq., ita de utraque rh. I 1 p. 1355 a 29 et 35; praeterea id inesse vidimus in δυνάμεως notione (v. § 3), qua significat has disciplinas rh. I 2 p. 1356 a 34, 4 p. 1359 b 13; singulae ubi sic eae nominantur, hi loci perlustrati sunt pt. I p. 8 extr. et 14. in.

Postremo non neglegenda est ea similitudo, quae inter argumentorum species, quibus utraque utitur, intercedit, cum dialecticae syllogismis respondeant enthymemata, inductioni exempla I 2 p. 1357 a 16 an. post. I 1 p. 71 a 10, ac de illis loquitur singillatim rh. II 22 p. 1395 b 23, de his p. 1357 b 26. In eo autem, quod I 2 p. 1356 b 33 est, propria harum artium similitudo non inest, (a qua sententia Waiz. in organ. II 437 in. videtur non plane alienus esse), quod omnium id commune esse disciplinarum ib. v. 29 dicit.

Iam vero id, quo differant rhetorica et dialectica, in formis, quibus utantur, positum esse existimat philosophus,[2]) in argumentorum igitur, quae aliqua ex parte similia sint, discrimine. Quae cum natura ipsa, quoniam pariter altera serviunt deductioni, altera inductioni (v. an. post. I 1 in.), congruant inter se, forma distare dicit enthymemata rh. I 2 p. 1357 a 17 II 22 p. 1395 b 25 (οὔτε πάντα δεῖ λαμβάνοντα συνάγειν) ab iustis syllogismis, quod nec par προτάσεων est numerus (v. Trendelenburg. el. log. Ar. adn. ad § 7) nec tam stricta illorum forma, exempla vero ab inductione, quod illa in uno alterove continentur facto nec ad universam enituntur collectionem (I 2 p. 1357 b 30 sqq.), qua hoc in genere certum efficitur iudicium. Multo minoris est momenti nec a philosopho explicatur, quod leve quoddam inter utriusque artis materias inveniri potest discrimen: enthymemata non longe repetita esse oportere dicit rh. II 22 p. 1395 b 23, nimirum quod simplices plerumque esse auditores statuit rh. I 2 p. 1357 a 12 III 18 p. 1419 a 18 coll. III 1 p. 1404 a 8 v. supr. p. 1 adn. 3. contra dialecticae nisi apud homines eruditos non fere est locus. De elocutione vero, ut huius primis duobus libris ratio non habetur, tertio autem de universa rhetorica non quaeritur ideoque ne de ratione quidem, quae huic cum dialectica intercedat, omnino nihil dicitur. Quare facere non possum, quin adverser G. Hermanno, qui in praefatione illius de arte metrica libelli[3]) p. XXX Aristoteli tribuit id, quod quamvis per se verum sit, nusquam tamen ab illo aperte dicitur.[4]) Acute enim arte dicendi ab eloquentia

---

[1]) Omittitur hoc ab Anton. in Mus. Rhen. l. l. p. 581.

[2]) Longe aliter iudicat Spengel. de veterum. stud. rhetor. p. 21: „beide, dialectik und rhetorik, stehen auf gleicher linie, sie sind correlate (ἀντίστροφοι), nur die obiecte sind verschieden. Die dialectik im dienste der philosophie hat die grössten und wichtigsten güter des menschen zum gegenstande ihrer betrachtung, die rhetorik fälle des gewöhnlichen lebens. . . Ar. konnte daher die rhetorik auch einen theil und einen nebenzweig der dialectik nennen.“ Variam fere esse utriusque artis materiam ipse concedo; at ne id quidem aperte dicit philosophus, nedum in hoc solo differentiam inesse statuat. Id quod idem Spengel. in illa de Aristot. rhet. commentat. p. 483 dixerit: „ἐνθύμημα und παράδειγμα treten in der dialektik in der gestalt von συλλογισμός und ἐπαγωγή auf, sind aber ganz dasselbe,“ ab eo mutatum esse in commentar. art. rhet. p. 52 s. f. et 68 med., iam Kalischer. in dissertat., quae pt. I p. 10 adn. 1 laudata est, p. 4 adnotavit. Hic idem quod de altero dialecticae et rhetoricae discrimine dicit p. 4 extr.: „Rhetoricam quidem negat disciplinae esse certis finibus circumscriptae,“ (qua de re cur non ita statuendum sit, supra p. 4 est explicatum ex verbis rh. I 1 p. 1354 a 3) „sed hinc nondum consequitur eandem cunctis disciplinis communem esse, id quod Aristoteles de dialectica distincte ait“, hoc minus recte iudicare videtur; per se enim a nulla disciplina abhorrere rhetoricam nec eius materiae fines nisi usu terminatos esse, qui ad huius notionis ambitum et dialecticae a rhetorica differentiam e ratione constituendam nullius est momenti, ib. p. 4 demonstratum est.

[3]) Handbuch d. metrik. Lips. 1799.

[4]) Non longe ab hac videtur abesse sententia O. Jahn., cum ad Cicer. or. 114 adnotet: „auf die worte ἡ ῥητ. ἐστ. ἀντίστρ. τ. διαλεκτ. folgt eine weitläufige auseinandersetzung, deren ungefähren inhalt Cicero in der kürze zusammenfasst.“ Sed quae Tullius dicit: „ratio dicendi latior, illa loquendi (quod ad dialecticam pertinere ex § 173 intellegitur) contractior“ minime congruit cum Aristotelis doctrina, imprimis ea, quae rh. I 1 in. est.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

distincta illius ut in poesi ita in eloquentia usum esse statuit, et in e[illegible] eloquentia ab arte dicendi dialecticam ita separat, ut cum illa ars in doctrina de orationis, qu[illegible] persuadendum pertineat, vi contineatur, haec versetur in praeceptis, quae de notionum ad fidem [illegible]endam momento tradantur: unde apparet ad dialecticam, ut rhetorica evadat, quae quidem est artificiosa eloquentia, accedere oportere orationem ad persuadendum aptam, in qua proprium rhetoricae eiusque a dialectica discrimen insit: quam philosophi esse sententiam nullum, quo probetur, video locum.

Cicero, si quaerimus, quid de rhetoricae et dialecticae ratione iudicaverit, primum quam omnino huius artis esse notionem statuerit et num in hac consentiat cum Aristotele quaerendum est; dissentiunt enim hac de re Academici et Stoici, cum hi verum inveniri posse contendant, illi negent et disputari tantum in utramque partem posse existiment; alteros autem eorum in singulis philosophiae partibus plerumque sequitur Tullius. Aristoteli cum dialectica facultas sit, „quae proficiscens ab ἐνδόξοις in utramque partem disputet et difficultates ita quasi exagitet, ut verum indagetur et ad artium principia patefiat aditus,“[1]) Cicero non aperte quidem haec amplectitur, sed in iis, quae de hac disciplina dicit, reperiri possunt pleraque, quae ad rem hic propositam maioris sunt momenti. Namque huc nihil pertinet, quod distribuit artem in officia inveniendi et iudicandi (top. 6), quae partitio abhorret ab Aristotele, quodque ab hoc ipso utrumque explicatum esse indicat l. l., cum neque eius ars universa ex hac ratione sit disposita[2]) nec in singulis quibusque praeceptis duo illa possint discerni. Loquitur igitur de dialectica Tullius d. or. II 157 (bene disserendi et vera ac falsa diiudicandi ars) partit. 78, 139 or. 115 Brut. 152 academ. I 32 Tuscul. V 72 top. 6 et memorat fere haec: definire (Brut. acad. Tusc. l. l. partit. 139), partiri (Brut. acad. partit. 139), quaerere de nomine (or. acad.), de contrario (or.), de consequentibus (or. Brut. Tusc.), de effectis (or.) — quae omnia in iis insunt, quae top 8 et 11 enumerantur pertinentque ad inveniendum; tum vero discernere, quot modis quidque dicatur (or. l. l.), ambigua videre (Brut.) et dividere (ib., or. partit 139), perfecta concludere de vocabuli vi (cf. O Jahn. ad or. 122), probare et concludere (partit. 78, 139, Tusc. — acad.), vera et falsa diiudicare (partit. 78, 139 or. Brut Tusc.). Intellegitur ex his Ciceroni propositum esse in dialectica primum locos enumerare, unde argumenta possint duci,[3]) id quod inventionis nomine significat, tum contrarias examinare sententias (cf. Tusc. II 9), denique vera et falsa iudicare, ut quid quaque in re sit veri simile inveniatur (l. l.). Itaque de dialecticae vi et natura cum universe consentiant Aristoteles et Tullius, quod singulae officii partes plane diversis modis et instituuntur et explicantur illique de usu artis discrepare videntur, quoniam id huc nihil pertinet, iam ad ipsam rationem, quae inter artes illas intercedit, deinceps accedamus.

Atque de hac universa Cicero iudicat or. 113 vicinam eloquentis facultati ac finitimam esse dialecticorum scientiam, et paullo infra (§ 114) docet manifesto id, quod Aristoteles de utriusque ratione praeceperit, sibi cognitum esse, cum recte prima illa totius rhetoricae verba convertat, quando quidem in respondendi vocabulo inest similitudinis significatio, differentiae in verbis „ex altera parte“ (cf. locos ab O. Jahn. allatos).

---

[1]) Trendelenburg. el. log. Aristot. adn. ad § 33.

[2]) Ad examinandos et dissolvendos syllogismos sophisticos iudicationem non esse revocandam clarum est.

[3]) Illi loci quod minime cum Aristoteleis congruunt, ad ipsam dialecticae notionem, de qua hic agitur, nihil attinet, atque ne id quidem discrimen, quod inter τόπου Aristotelei et loci Ciceroniani notiones J. J. Klein. in dissertatione de Ciceronis topicorum fontibus scripta Bonn. 1844. p. 31. esse statuit, — quod illi ad dialecticas tantum πίστεις, hi cum „argumentorum“ sedes sint, pariter etiam ad logicas ἀποδείξεις spectent — hic pluris aestimandum est. Alterum contrarias examinandi sententias officium quod a Cicerone nisi ad disserendum non fere refertur neque, ut ab Aristotele fit, ad scriptoris disquisitionem in utramque partem patentem (Arist. top. I 2 med.), quodque paene omnino non apparet nisi coniuncta cum arte oratoria, cuius velut προγύμνασμα quoddam est et fundamentum (sicut Tusc. l. l. all.), haec quoque hinc aliena sunt.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Affinitatem autem in hoc inesse arbitratur, quod „utraque in disserendo est“ (or. 113), quoniam hoc, ut ait O. Jahn., „in eloquendis et explicandis collocatur cogitationibus,“ idque pariter ad dialecticos et ad oratores, ad loquendum non minus quam ad dicendum (cf. Brut. 276 med.) pertinet. Sed ex iis, quae Stagirita hoc in genere docuit, nihil profert Tullius ac ne de differentiis quidem cum illo consentit; minime enim has ponit in argumentorum formis, sed Stoicorum (v. or. 113 d. fin. II 17 Sext. Empir. adv. mathemat. II 7 de Zenone) amplectitur doctrinam, sicut iam ante eum Varro (v. Isidor. origin. II 23); compluribus enim locis has duas artes eo distare dicit, quod altera brevior, altera latior sit, ut ad solam elocutionem revocetur illarum discrimen: atque hanc doctrinam falso ad Aristotelem transfert or. 114 (cf. d. fin. II 17).[1]) Adnotandum simul est a Cicerone illud *ἀντίστροφον*, in quo et similitudo continetur et differentia, illo autem loco rh. I 1 significatur convenientia, adhiberi ad illustrandum artium discrimen; propterea autem eum philosophi verba falso interpretari non, ut fere fiat, dicendum esse apparet.

Videmus igitur consentire cum Aristotele Ciceronem de rhetoricae et dialecticae ratione in hoc, quod illam universam huic vicinam esse ac finitimam, eandem alia ex parte ab hac differre statuit: quae tota doctrina quamquam a Stagirita ducit originem, non tamen in illo consensu vim inesse ipsorum philosophi librorum facile intellegitur ex ipsa hac ratione diligentius definita; neque enim similitudo nec differentia ponitur in eodem, in quo ab Aristotele, immo totus in his ex Stoicorum doctrina pendet Tullius. Quod illud philosophi ex rhet. I 1 profert, eo ipso, quo hoc fit, loco non totius disquisitionis id esse fundamentum clarum est; accedit, quod cum illius explicationem, quam ipse Stagirita addit, non respiceret, minime ab his paucis verbis *ἀντίστροφος ἡ ῥητ. τ. διαλ.* profectus esse putandus sit, cum rem illustraret, de qua uberiorem Stoicorum doctrinam ei notam et quasi familiarem fuisse manifestum est.

§ 9.

Aristoteles cum a rhetorica pariter atque a dialectica falsas earum imitationes fraudulentaque simulacra secernat, haec res commode cum superiore coniungi videtur. Ille igitur utrique disciplinae sicut *παρεκβάσεις* quasdam adhaerere statuit sophisticas rationes (rh. I 1 p. 1355 b 16, 4 p. 1359 b 11 sq.), quas eodem modo, quo has ipsas artes inter se discernit: sophisticam, quae proprie dicatur, *τῷ φαινομένῳ συλλογισμῷ*, sophisticam rhetoricam[2]), quae suo careat nomine rh. I 1 p. 1355 b 19 sq.[3]), *τῷ φαινομένῳ πιθανῷ* uti existimat. De altero illarum artium genere hic agitur. Discernit igitur verum oratorem et sophisticum l. l. v. 18 *οὐ τῇ δυνάμει* (quae quidem par utriusque est, cum uterque *τὸ πιθανόν* et *τὸ φαινόμενον πιθανόν* excogitet atque consideret, qua de re cf. pt. I p. 9) *ἀλλὰ τῇ προαιρέσει* (v. ib. p. 11), ut ille solum iis utatur, quae re vera fidem facere possint, *τὸ φαινόμενον πιθανόν* ideo cognoscat, ut id defendere a se possit et dissolvere, hic autem propter fallendi studium illud alterum non aspernetur.

---

[1]) Non est, cur putemus Ciceronem Aristotelea se proferre opinatum esse, cum scriberet illa: „ut hoc videlicet differant, quod haec ratio dicendi latior, illa loquendi contractior sit,“ sed id, quod Stagiritae animo obversatum esse is ipse arbitratur, ita addit, ut transferat ad eum, quae tradita sint de Zenone: ad huius igitur sententiam confirmandam fere velut *παρένθεσις* illud de Aristotele interpositum est. Quod ut significetur, coniungenda sunt duo illa testimonia, idque efficitur, cum levius, quam vulgo fit, interpungatur § 113 extr., contra gravius ante illa verba: „ut hoc videlicet,“ id quod iam in adnotat. ad dissertat., quae part. I p. 1 commemorata est, p. 40 commendavi.

[2]) Stahr. in adnotat. extr. ad interpretat. rhet. I 1 p. 23 in hoc rhetoricam iam non similem esse dialecticae contendit — minus recte, ut videtur.

[3]) Etiam hoc Aristoteles Platonem petere videtur, qui cum in Gorgia universam contemneret rhetoricam eiusque parem fere atque sophisticae condicionem esse statueret, hoc discrimen neglexit, quo deteriorem tantummodo artis dicendi speciem nec rhetoricae nomine dignam respondere sophisticae significatur.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Aliter rem instituit Cicero, qui cum de dialecticae et sophistic iscrimine statuat ea, quae a philosophi sententia non plane aliena sint (partit. 81 „illam disput prudentiam" — in qua dialecticam positam esse ex § 78 extr. intellegitur — imitatur, velut (m virtuti adhaerens eique affine, „concertatio captatioque verborum," quo fraudulentum eius consilium denotatur), neque docet pari discrimine atque dialecticam distare a sophistica ratione iustam rhetoricam, nec illud ipsum, quo hanc alteram a fallaci eius simulacro differre iudicat Stagirita, commemorat, verum sicut omnia constituit ex elocutione, ad eam hanc quoque de vera et falsa rhetoricae specie quaestionem revocavit. Notat enim artis dicendi aberrationem, quae neglegat prae verborum suavitate gravitatem rerum, cum partit. 81 inanem loquendi profluentiam secernat a vi oratoria: quo loco intellegitur eo apertius omnino non respici consilia, quae utrique huic oratorum generi proposita sint, quod in dialectica a fraudulenta eius imagine distinguenda id certe indicatum est ideoque etiam in rhetorica id respicere propinquum erat. Caeterum hoc in elocutione positum discrimen utrum ipsi debeatur Tullio an ab aliis, quorum libris is usus est, velut a Theophrasto, an Stoicorum ex doctrina, cui similis est virtutum et vitiorum enumeratio partit. 76 sqq., repetitum sit, in medio relinquendum est. Alia igitur ex parte atque Aristoteles cum Tullius ab arte dicendi falsam eius speciem seiungat, tamen huius in nomine illos consentire conicere aliquis potuerit, cum alio quodam loco sophisticae ab ipsa eloquentia differentiam in elocutionis forma inesse ille existimet; dicit enim or. 65 sophistas eo distingui ab oratore, quod omnes eosdem, quos hic adhibeat in causis, flores (quorum profert exempla l. l.) et apertius quam hic et crebrius persequantur, idque refert ad finem iis propositum, cum non tam persuadere quam delectare, nec tam movere quam placare animos studeant. Sed his non modo non vitium notari, verum ipsius artis significari genus quoddam ex or. 37 apparet: eo enim loco tribuitur sophistis universum *γένος ἐπιδεικτικόν*.

Quae cum ita sint, hoc in genere nihil videmus Aristotelis ex doctrina esse Ciceronis in libris.

§ 10.

Rhetorica quoniam est *περὶ ἕκαστα*, propriam igitur nullam habet materiam, necessario ex aliis pendet disciplinis, cumque, ut ad artis praestantiam haec efferatur, is, qui eius officio fungatur, ita imbutus esse debeat huius officii cognitione, ut eorum, quibus utatur, *πίστεων* vim ac naturam perspexerit, illa etiam hac ex parte in aliena innititur scientia Quare iam quaeramus, quibus ex disciplinis pendeat, unde igitur subsidia repetat ars dicendi et quid intercedat inter hanc et illas: idque propterea diligentius percensendum est, quod pluribus de eo disputat Tullius, cum qua doctrina verum instructum esse oporteat oratorem exquirat.

Aristoteles cum nihil excludat ab artis dicendi materia, praecipue autem res civiles ei tribuat, has paene solas respicit nec aliud quidquam memorat, quo loco de rhetoricae elementis loquitur, ex quibus tamquam composita sit (*σύγκειται*): nominatur enim eo loco (rh. I 4 p. 1359 b 9) *ἡ περὶ τὰ ἤθη πολιτική*, eoque, quem ibi respicit, I 2 p. 1356 a 26 *ἡ περὶ τὰ ἤθη πραγματεία, ἣν δίκαιόν ἐστι προσαγορεύειν πολιτικήν*: primum igitur politicam, quae propria dicitur sententia, nominari manifestum est, ex qua quidem maximam partem repetuntur rationes generis deliberativi I 8 in , tum vero ethicam, qua et rationes traduntur, quibus in genere demonstrativo (I 9 in), nec minus eae, quibus in reliquis (I 10—14) utendum est, et de hominum moribus docetur orator (I 9 in. II 12 in.). Arte cum politica cohaeret historia, cuius notitia, etsi ad politicam vehementius quam ad rhetoricam pertineat, oratorem imbutum esse oportere dicit rh. I 4 p. 1360 a 37 II 20 p 1393 a 29, 22 p. 1396 a 11 sqq. Iuris cognitio non diserte postulatur, sed I 13 p. 1373 b. 34 sqq. leviter tangitur. — Morum scientiae adnumeratur (cf. eth. Nic. I 13 p. 1102 a 23) aliqua pars eius, quae de anima est, doctrinae, id quod apparet I 2 p. 1356 a 24 sqq., ubi quod *ἠθῶν* et *παθῶν* naturas consideret, *οἷον παραφυές τι τῆς περὶ*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

τὰ ἤθη πραγματείας esse dicitur rhetorica; etenim haec, ut modo diximus, earum, quibus utatur, rerum vim perspectam habeat oportet, ne caeco tantum modo quodam sensu ducta aliena sit ab artis natura. Quare rh. II 1—13 illustratur is psychologiae locus, qui est de affectibus Aliarum rerum cognitionem necessariam esse oratori nusquam philosophus dicit, sed ea humanitate illum imbutum esse debere, ut a nullo, quod cohaereat cum dicendi arte, litterarum genere plane abhorreat, Aristotelem quoque iudicare intellegitur ex ἤθους definitione rh. II 1 p. 1378 a 9, 16: ut hominem se probet prudentem (φρόνιμον).

Logicae autem artis notitia oratorem non oportere esse destitutum significatur satis clare I 4 p. 1359 b 9 coll. I 2 p. 1356 a 26, qua de re § 8 p. 9 actum est Etenim ut dialecticorum ita rhetoricorum, quae illis adhaerent, argumentorum naturam perquirere analyticae sive logicae est disciplinae.

His igitur ex artibus, quarum παραφυές τι dicitur, rhetoricam cum vires suas haurire declaretur, iam quatenus in iis versandum sit oratori quaerendum est. Rhetoricae natura, cum δύναμις sit, effici, ut a subtili rerum perquisitione maximeque a principiis sit aliena, quoniam vidimus pt. I p. 10 in., ratio hic habenda est locorum eorum, quibus de illius notitiae gradu expresse verba facit. Huc referendi sunt praeter eum, qui l. l. p. 11 explicatus est, I 4 p. 1359 b 17 imprimis I 5 p 1361 b 34 sq. 6 p 1362 a 21 („ἁπλῶς") 8 p. 1366 a 21 ἐφ' ὅσον ἦν τῷ παρόντι καιρῷ σύμμετρον εἴρηται · διηκρίβωται γὰρ ἐν τοῖς πολιτικοῖς περὶ τούτων. 10 p. 1396 b 32 μήτε ἀσαφεῖς μήτε ἀκριβεῖς. II 22 p. 1396 a 6. Itaque non fere praeter commune iudicium popularemque intellegentiam illis disciplinis oratori utendum esse philosophus existimat. Sed num is interiore, quam quae exhibeatur orationibus, earum cognitione imbutus esse debeat, id ne indicat quidem, ut in artis praeceptis se continet nec ad institutionem oratoriam usumque aggreditur; colligi autem potest ex ea ratione, qua ipse in libris rhetoricis describit illas disciplinas: exempla profero definitiones boni (rh. I 6, 7 coll. eth. Nic. I 1 p. 1094 a 22 met. I 2 p. 982 b 6 sqq. cum Bonit. adnotat. ad p. 983 a 31), voluptatis (rh. I 11 coll. eth. Nic X 5 v. Kranichfeld. dissertat. de Platon. et Aristotel. de ἡδονῇ sententiis Berol. 1859 p. 20), pulchri (rh. I 5, 11 coll. ea, quam ex poetica et aliunde repetitam composuit Schrader. in dissertat. de artis ap. Aristot. notione Berol. 1843 p. 21 in.), politiarum divisiones (rh. I 8 coll. pol III 7); de reliquis v. Kalischeri dissertat., quae supra p. 10 laudata est.

Cicero quod de rhetoricae natura non ita disputat, ut quibus ex elementis illa quasi composita sit doceat, immo hac de re iudicium suum immutasse videtur idque ita, ut, quamquam illius proprium in elocutione collocet, disciplinam tamen ex se ipsa aptam eam esse nec materia sua carere nonnullis locis demonstrare studeat, non tam manifesto in artibus quibusdam illam inniti dicere potuit. Sed cum in arte sua usum potissimum spectet ideoque quid oratori sciundum sit quaerat, haec indicia ad illustrandam rem propositam colligenda sunt. Atque etiam in examinanda sententia Tullii neglegenda sunt ea, quorum cognitio, cum per se rhetoricae tractandas subiciat alias quoque ac civiles res, hanc ob causam oratori opus est (v. § 7 p. 6); agitur enim hic praecipue de iis, quae oratori percipienda sunt, etiamsi in illis se continet, in quibus potissimum ei versandum est, rebus civilibus maximeque iudicialibus: v. d. or. I 59. Comprehendit ea omnia partit. 139 sq., cum quid ex dialectica sit adhibendum in dicendo explicaverit, ita, ut praeterea ethicis rationibus opus esse dicat; or. 113—120 poscit praeter dialecticam, quae est sicut logica quaedam popularis, ethicam et psychologiam (§ 118), ne physicam quidem plane neglegit (119), addit historiae antiquitatumque cognitionem (120). Haec ipsa subest sententia d. or. I 158 coll. 165. Contra d. or. I 20 singulas non nominat artes, quarum postulat scientiam. Brut. 322 autem philosophiae nomine comprehensis dialecticae, psychologiae, ethicae adicit ius et rerum Romanarum memoriam. Atque d. or. II 5 ea omnia in universae sapientiae, quam plane necessariam esse dicit, notionem cogit, et Brut. 44 in Pericle doctrinam, qualiscumque esset illa aetate,

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

fuisse dicit, 308 autem de se ipse praedicat a nullius doctrinae se ali[illegible] fuisse meditatione. D. or. I 69 coll. 165 cum prae morali disciplina reliquas has philosophiae p[illegible] legat, id cum Crassi consilio cohaeret, qui argumentorum formam oratori cognitam esse oportere [illegible]nem fere oblivisci, contra diligens litterarum studium a multis contemni videbat. Politicae disciplinae in his, ubi omnia rhetoricae tamquam instrumenta enumerantur, cum d. or. II 59 usum potius quam rationem spectet, non fere mentio fit, nisi eam universo philosophiae nomine Brut. 322 ipsam contineri statuimus. Neque id caret explicatione, cum Tullius, quem ad modum supra indicatum est, paene solum respiciat genus iudiciale, illa autem plus valeat ad deliberativum (v. d. or. I 201). Singulae illae commemorantur disciplinae his fere locis: comprehendi videntur ethica et politica graviorum nomine Brut. 331, scilicet cum ad usum spectent et opponantur levioribus (ib. 3 coll. d. or. I 212 cum Ellendt adnotat.), quae vitae cultum sequantur: aperte autem illas poscit d. or. I 48 (coll. 46 s. f. 47 in.) III 72 coll. 71 respiciens et rationem et usum. Eodem fuerint referendi loci d. or. I 122, III 54, ac ne ab Antonio quidem haec negleguntur II 68. Moralis autem sola postulatur disciplina d. or. I 48, 60, 69 in III 54, 107 partit. 140 or. 16 s. f. 118, 144, politica vero et ratio et prudentia d. or. I 60, 201, et illa I 193 med., ubi a Scaevola (v. I 35) se dissentire Crassus cum eoque ipse libri scriptor indicat, haec vero sola II 337 („nosse rempublicam") pariterque Brut. 228 L. Sisenna laudatur orator, quod gnarus rei publicae fuerit; d. or. III 137 docetur exemplis artis dicendi separari non posse a consilio urbano, atque huic adiungenda est rei militaris scientia, quam postulat d. or. I 60. Psychologiam vero ib. I 53 atque etiam physicam III 122 (coll. Brut. 44) commemorat, neque id tamen sicut III 76, quod ex ea repeti possit, in quo versetur ars dicendi. Historiae autem ratio habetur Brut. 174, ubi L. Gellius ob rerum Romanarum notitiam laudatur, d. or. I 201 partit. 32 (si antiquitas, si memoria significatur), antiquitatum autem d. or. I 18 mentio fit, ac terrarum descriptio I 60 commemoratur. Iuris scientia d. or. I 18, 48, 160—200 (v. 197 s. f.) partit. 100 proponitur expetenda et quid in oratore ea valeat, indicatur Brut. 78 in. 81, 98, 102 (129) 145 sqq. 222 (de M. Bruto) 306 in. cf. d. or. III 133 (de Aelio et Manilio). Dialectica quam sit necessaria praeter locos, qui supra p. 11 laudati sunt, Brut. 152 sq. significatur saepissimeque quae ad eam pertineant exercitationes in utramque partem loquendi oratori utiles esse ab eo dici vidimus pt. I p. 2, quo dialecticam facultatem maximo in rhetorica usui esse satis declaratur.

Videmus igitur earundem a Tullio atque ab Aristotele postulari disciplinarum cognitionem, nisi quod ab illo etiam aliquanto remotiores nonnullae expresse nominantur. Quatenus autem in iis versandum est oratori?

Crassus rhetoricae materiam quandam esse d. or. I 55 ita statuit, ut haec non alienis ex disciplinis sumatur, sed illi cum his „communis" sit (cf. I 213) et omne discrimen in tractandi ratione, non in subtilitatis gradu, quem expetant, positum sit; eadem subest sententia d. or. III 108, 122, cum non modo oratorem gnarum esse illarum rerum, sed etiam rhetoricae materiam eandem esse indicet atque disciplinarum illarum: huic non obstant, quae I 66 sqq. leguntur Crassi verba; hoc enim loco demonstratur propriam vim oratoris, quamvis necessaria ei sit permultarum artium scientia, positam esse in elocutione, idque probatur eo, quod, etiamsi mutuatus sit orator rerum cognitionem ab alio quo, melius ille tamen quam hic ipse locuturus sit: minime igitur conceditur oratori singulas disciplinas non esse percipiendas. Nonnullarum artium cognitionem minus necessariam esse iudicari intellegitur ex iis, quae § 67 de ethicis addit: „haec quidem nosse debet orator;"[1]) at ex hoc ipso, quod ethicae notitia

[1]) Ethicae quod Cicero praecipuum quiddam tribuit, in hoc ne quis Aristoteleae doctrinae vim inesse fuerit suspicatus. Nam Stagirita ubi ex ethica et dialectica constare dicit rhetoricam, illud positum est verbum in latissime patente sententia politicae, cui στρατηγική pleraeque aliae subiunguntur artes (v. eth. Nic. I 1), ut morum scientiae non maius, quam reliquarum sit ad rhetoricam momentum.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

oratorem carere posse negat, reliquarum artium scientiam utilem certe ei esse colligi potest. Temperata et ad usum accommodata d. or. III 123 haec ita est sententia, ut oratori illa, quae postulentur, iam non possidenda, sed a philosophis mutuanda esse concedatur, utque ab his differant oratores eo, quod civilem quandam ac popularem rerum expetant cognitionem, cum illorum sit subtilius quaerendi genus (v. supra p. 3 med.). Atque hoc modo eam philosophiae scientiam partam esse iure putaverimus, quam in perfecto oratore inesse Crassus d. or. III 143 dicit. Sed utcumque iudicamus his de rebus, poscitur earum omnium, quae supra enumeratae sunt, artium notitia quaedam quamvis levis. Contra Antonius hoc neglegit d. or. I 218, 248 nec quidquam postulat, nisi ut orator mutuando ad tempus (I 256 in.) sibi comparet, quod opus est (quae Sulpicii quoque opinio est III 147, quamquam huic nihil tribuendum est) idque de ethica significat I 219, de psychologia 220, de iuris cognitione 252, de politica et historia 256. In eo igitur cum modum transeat, quod oratorem ne levi quidem harum artium notitia imbutum esse oportere statuit, hoc tamen in eius disputatione verum est magnique momenti, quod I 262 non dicit propria artis oratoriae esse ea, quae Crassus huic cum singulis illis disciplinis communia eique subiecta esse existimaverat; atque ab hoc post ita accipitur ea sententia, ut res illas iam non pertractandas rhetoricae, verum ex singulis artibus adsumendas, quamvis non ad tempus (v. Tacit. dial. 32 in.) inde depromendas esse censeat. Iure igitur hanc ipsius Ciceronis sententiam esse conicere possumus, ut ex hac intellegenda sint eius verba d. or. II 5 in.

Quae cum ita sint, in eo cum Aristotele consentit Tullius, quod rhetoricae materiam aliis ex disciplinis, quas nominat easdem ac philosophus, repetendam esse praecipit; usque eo autem non progreditur, ut constare illam dicat ex politica et dialectica, quae principalis est sententia Stagiritae ac velut fundamentum doctrinae eius, unde alterum illud oritur praeceptum pertinens ad usum, res ipsas rhetoricae aliunde esse depromendas. Ratio Ciceronis non eo solum est explicanda, quod is imprimis ad usum spectet; sed ab hoc non profecto id, quod omnium praestantissimum iudicaret, per se esse negari poterat et dissolvi in elementa alias easque iustas ad disciplinas referenda. Adde, quod, cum elocutione eius proprietatem contineri arbitretur, est praeter materiam et argumentorum formas tertium quiddam, quod nulla alia ex arte repetitum sit, ut hac quidem ex parte accedere omnino non potuerit Tullius ad Stagiritae sententiam, qua nulla esse ars rhetorica statuitur nisi adiumento duarum artium illarum, quae supra dictae sunt.

Aristoteleae igitur hoc in consensu non reperitur vis doctrinae.

§ 11.

Extrema pertinet ad universam rhetoricam, quamvis ad intellegendam eius naturam minoris sit momenti, de huius utilitate quaestio. Agit de ea Aristoteles rh. I 1 p. 1355 a 21 sqq. quattuorque ex partibus utilem esse artem oratoriam docet: primum, quod serviat causis bonis, ne hae forte iudicio iniusto opprimantur, deinde, quod in iis rebus locum habeat, ad quas docendi officium non pertineat, cum probandae sint hominum multitudini; tum, quoniam in contrarias partes pateat facultas oratoria, ea parari vim artificiorum, quae opponantur ab adversario, et perspiciendorum et, si iniusta sint, dissolvendorum; postremo utilem esse rhetoricam, quod dicendo se tueri non posse re vera turpius sit, quam corpore, cum magis illa facultas quam vires propria sit hominis. — His ex rationibus aperte quidem nullam Tullius repetit; sed ubi de artis oratoriae usu loquitur d. or. I 30 sqq. 202 (cf. d. inv. I 5), ad singularum earum accedit similitudinem: atque a prima prope abest d. or. I 202, cum ingenii praesidio innocentiam liberari iudiciorum poena dicit; sed quae addit de scelere fraudeque supplicio constringendis, haec abhorrent ab humanitate Stagiritae. Alterum autem, quod ad hominum multitudinem oratione ducendam spectat, respicit ille quidem, cum utroque illo loco nihil tam potens

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

tamque magnificum esse dicat; eorum autem, quae philosophus ad causas accedens addit, cum ad vulgus non valere doctrinam statuat, plane non rationem habet. Tertii expresse mentio non fit; quartum autem d. or. I 32 ita profert, ut hac facultate tectos nos ipsos esse posse doceat, additque hoc uno vel maxime nos praestare feris. Caeterum neuter horum scriptorum negat etiam abuti posse homines dicendi facultate, id quod Aristoteles rh. I 1 p. 1355 b 3, Tullius d. or. I 38 adnotat.

Consentit igitur primum cum Stagirita Cicero utilem esse rhetoricam; sed in hoc nemo ex illius doctrina hunc pendere opinabitur; nam quis aliter statuere poterat rhetor? Qui vero in singulis inest consensus, is non patet latius, quam ea, quae communia sunt paene omnibus artium scriptoribus quaeque partim iam ante philosophi aetatem erant pervagata; ad ea autem, quae huius propria esse conicere licet ex subtilitate sententiarum, Tullius non accedit, ac si rationem eorum habemus, quae affert praeter res modo collatas, omnino eum non tam de disciplinae rhetoricae utilitate quam de fructibus, quos ex facultate oratoria ferat ipse orator, de praemiis eloquentiae, quae dicit d. or. I 16, loqui videtur, aliamque utriusque hoc in genere esse rationem apparet, ut hic Aristotelis librorum vis non possit reperiri.

§ 12.

Usque ad hunc disputationis locum cum in universa rhetorica versati simus, iam ad eius genera accedamus. Distinxit igitur Aristoteles *τρία γένη τῶν λόγων τῶν ῥητορικῶν* rh. I 3 p. 1358 b 7: *συμβουλευτικόν, δικανικόν, ἐπιδεικτικόν*, et ea ex auditorum generibus, ex quibus quidem totius rhetoricae finem pendere dicit l. l. v. 1. (cf. supra p. 1 adn. 3 p. 10) Eadem illa etiam Ciceronis sunt d. or. II 333 sqq., 43 coll. 35 III 109 partit. 70 top. 91; dicuntur autem genera causarum d. or. II 133, 145, 349 or. 72[1]) cf. rhet. ad. Her., d. inv. I 10, Quintilian. libros; genera orationum or. 37, genera rerum d. inv. I 2. Atque eadem illa dividendi ratio est partit. 10, contra aliis locis ea non subicitur[2]), quamquam plurimum in universa rhetorica auditoribus tribuendum esse etiam ille dicit or. 24 partit. 15 s. f. d. or. II 338. Ex quibus autem tribus rebus *τὸν λόγον συγκεῖσθαι* dicit philosophus rh. I 3 p. 1358 a 38, easdem Cicero commemorat in constituendis generibus elocutionis, ex qua totam artem dicendi pendere statuit hoc in libro, orat. 71 coll. d. or. III 210 extr.

Tribus illis generibus sunt qui quartum addi putent historicum; ad propria enim oratoris officia d. or. II 36 a Tullio refertur historia scribenda. Hoc quod non tam expresse facit, ut suam hanc doctrinam (et eam a reliquorum rhetorum praeceptis diversam) proferre videatur, hac in re fortasse aliorum respicit rationem.[3]) Nam quod historiae leges nondum explicatas esse dicit d. or. II 63, id huic non obstat sententiae, quem ad modum alio loco (v. supra p. 7) quaestiones infinitas a rhetoribus, quamvis ad dicendi artem referrentur, non tamen diligentius tractatas esse tradidit. Nec ita illam doctrinam respicit, ut plane eam amplectatur; nullo enim alio horum librorum loco illius generis rationem habet, facileque intellegitur, ubi de artis praestantia (v. II 33) loquentem faciat Antonium, latissime ab hoc eius imperium extendi et quidquid ab aliquo ad illam revocatum sit, respici: quare huic de or. librorum loco non ita multum fuerit tribuendum. Sed or. 37, 207 historia manifesto ad rhetoricam refertur; at priore illo loco ea *ἐπιδεικτικῷ* subicitur generi, altero coniungitur certe cum hoc: quam ob rem separatum non est genus historicum. D. or. II 50 coll. 35 de consolatione, 64 III 211 non iusta causarum

[1]) Or. 122 eodem nomine generum causarum significantur status.

[2]) D. or. III 65 s. f. alia ex ratione disiunguntur auditores.

[3]) Ne ab Aristotele quidem historiam plane neglegi eamque cum *ἐπιδεικτικῷ γένει* coniungi P. Victorius statuere videtur fortasse Ciceronis ratione ductus, cum in adnotat. ad rh. III 12 p. 1414 a 17, quod *ἐπιδεικτικὴ λέξις γραφικωτάτη* dicitur, hoc eo referat, ut „rebus scribendis monumentisque literariis aptam eam esse significetur" (v. p. 781 ed. 1549): quam explicationem improbandam esse patet.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

genera proponuntur, sed officia quaedam oratoris, quae in partium divisione nondum locum suum habeant. Videtur igitur Cicero etiam alias res, atque tribus illis generibus contineantur, ad dicendi artem revocandas esse nec universam huius materiam iis comprehendi iudicare, sed nec generibus, quae enumerata sunt, eas res adnectere conatus neque novis addendis hanc usitatam causarum distributionem immutare ausus est.

Hanc divisionem, quamvis ea praeparata sit a veteribus artium scriptoribus et quamvis prope ab ea absit Anaximenis rhetorica ad Alexandrum, tamen propriam esse Aristotelis facile potest demonstrari; quare a prioribus eam Tullius repetere non poterat, sed ubicumque est, ea referenda est ad Stagiritae libros; idque eo clarius est in arte Ciceronis, si ipsa eius explicatio rhetoricae cum hac distributione comparatur. Namque apparet, ut haec ex rebus Romanis, quae illa aetate essent, oreretur, tantum abfuisse, ut huic res accommodare sciens studeret. Primum genus demonstrativum aliquotiens omnino non cum reliquis enumeratur: d. or. I 22, 31 s. f. III 6 Brut. 106 med. d. off. I 132. D. or. II 43, 65 non necessarium id esse significatur cf. or. 37, 207, nec tractatur nisi strictim. Quae res explicatione non caret, cum semper usum sequatur ratio, ad usum autem illis temporibus nondum multum valebat τὸ γένος ἐπιδεικτικόν (v. rhet. ad Her. III 8, 15 s. f.), quare Brut. 106 med. omittitur. Continebatur enim fere (v. d. or. II 341) in testimoniis, de quibus cf. Mommsen. hist. Rom. III 322 s. f., quae ad iudiciale potissimum pertinent genus, et in orationibus funebribus (cf. d. or. II 44, 341), quamquam ne in his quidem ante Ciceronis aetatem, cum Romani non sicut Graeci iam temporibus antiquissimis pulchri sensu florerent, qui apud illos matura poeticae perfectione erat excitatus, ornatam fuisse et pictam orationem credibile est. In scholis igitur potissimum hoc genus causarum versabatur (or. 42), utque eius exercitatione orator erudiebatur, ita totum „velut nutrix oratoris“ (ib. 37), „eius incunabula aut eloquentiae nutrimentum“ (ib. 42) esse dicitur; praeterea id respicitur, quod reliquis in generibus usui sunt eae formae, quae huic generi subiunguntur, unde satis intellegitur eius propterea potius mentionem fieri, quod ei artificia quaedam tribuantur (amplificationis et laudationis), quae omni in genere causarum usui sint (d. or. III 126, ut etiam or. 210 Brut. 162 c. Jahn. adnotat., cf. rhet. ad Her. III 15), quam quod ex his iustum constare genus sentiatur. Huius igitur Tullius rationem habuit non quod necessarium esset, sed quod vulgo in rationem receptum ferebatur. Caeterum quam non id fuerit propinquum rebus Romanis, ex ipso nomine intellegitur; in oratore enim nisi Graeco Tullius non utitur, in libris, qui de oratore sunt, eam usurpat interpretationem, qua vocis Graecae ἐπιδεικτικῆς vim non exprimi constat, sicut illa iam a Quintiliano (inst. or. III 4, 12—14) reprehensa est. Hanc etsi non ab ipso Cicerone profectam esse rhetorica ad Her. docemur, cuius num debeatur scriptori nihil est, unde diiudicetur, tamen ex hoc ipso, quod temere eam recepit, non ita multum universo huic generi tribui clarum est. In partitionibus oratoriis commune eius nomen nullum est, sed exornationis sive laudationis id esse Tullius dicit.

Ac ne deliberativo quidem plus tribuitur: non illud quidem omittitur, ubi rhetoricae partes exhibentur, sed diligentior eius non est explicatio[1]), videlicet quod ad hoc minus valeat ratio, quam sententiarum gravitas: Brut. 222 extr. 268 extr. Quare iam a prioribus dicendi magistris non tam perquisitum id erat, quam iudiciale. Dicunt de illo, cum versetur in rebus futuris, non tam copiose praecipi potuisse quam de hoc, cui subiectae essent res praeteritae. Accedit, quam Ellendt. in Brut. praefat. p. 16 s. f. profert, causa: „omnes, qui in iudiciis frequenter dicerent, etiam in senatu et contionibus oratores exstitisse consentaneum est;“ quae horum generum coniunctio significatur a Tullio,

[1]) Maioris hunc non esse momenti consensum facile hinc apparet; quare hunc non revocandum esse arbitror ad ea, in quibus praeter caeteros ad Aristotelem (ac simul ad Isocratem) rediisse putetur Tullius, sicut a Brueckner o fit in commentat., quae pt. I p. 18 laudata est, p. 10; cf. dissertat. meae p. 23.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

cum forensium contentionum nomine ea comprehendat or. 37. Ut in artis explicatione, ita in enumerandis causarum generibus primus conceditur locus[1]) iudiciali, sicut iam a Voss. in rhetor. (ed. a Thomas. 1742) p. 20, a Spengel. Philol. XVIII 608 s. f. adnotatum est, cum Aristoteles illum dederit „ob dignitatem" deliberativo.

Quod eorum generum ratio habetur, quorum alterum alienum erat a Romanorum usu, ad alterum doctrinae certe non magnum erat illis temporibus momentum, ex hoc veri simile fit totam illam divisionem aliunde esse receptam: sed ex ipsius Aristotelis doctrina non videtur ea esse repetita propterea, quod iam ante a rhetoribus, qui fuerunt post Stagiritam, eam acceptam esse credibile est. In rhet. enim ad Her. ita profertur, ut non modo non ex philosophi arte depromptam eam esse veri simile sit, (quam huic scriptori notam fuisse doceri non potest), sed ut vulgaris doctrina ibi proferri videatur; quocum consentit locus d. or. I 141.

Est igitur haec ratio Aristotelea, quae ex nullius, qui ante philosophum fuerat, arte potuit repeti, non tamen ex ipsis philosophi libris ad Ciceronem pervenisse putanda, cum iam in priorum rhetorum doctrina contineatur. Sciveritne autem Tullius, unde originem duceret illa divisio, nusquam aperte dicit; sed id credibile est, quod rationem dividendi, qua usus est Aristoteles, quam in vulgari fuisse institutione oratoria nullo probari potest testimonio, commemorat partit. 10[2]), ut hanc quidem ab illo ipso mutuatus esse videatur. —

Cohaeret cum hac divisione aliarum quarundam rationum distributio: primum enim rhetoricae generibus varii attribuuntur *χρόνοι* rh. I 3 p. 1358 b 13 sqq. atque *τῷ συμβουλευτικῷ ὁ μέλλων, τῷ δικαστικῷ ὁ γενόμενος, τῷ ἐπιδεικτικῷ* praecipue *ὁ παρών.*[3]) — Eadem fere proferuntur a Tullio. Quae d. or. II 105 extr. sunt, cum non tam distincte quam a Stagirita dicta sint, ab ipso Cicerone observata esse possunt; contra partit. 10 et 69 (coll. 13 s. f. et 70) Aristotelea subesse ratio putanda est; cf. dissertat. p. 46; demonstrativi generis de tempore neutro in libro verba fiunt.

Praeterea generibus *τέλη* designantur varia rh. I 3 p. 1358 b 21 sqq. *τῷ συμβουλευτικῷ τὸ συμφέρον* quodque ei contrarium est, *τῷ δικανικῷ τὸ δίκαιον καὶ τὸ ἄδικον, τῷ ἐπιδεικτικῷ τὸ καλὸν καὶ τὸ αἰσχρόν.* Ex his de primo dissentit a philosopho Tullius d. or. II 334 coll. 208 s. f. sicut iam

---

[1]) Idem est ordo in partitionibus, sed a leviore ascenditur ad genus gravius.

[2]) Ad aliam rem demonstrandam — notos fuisse Tullio ipsos Aristotelis libros rhetoricos — allatus est hic locus in dissertat. meae p. 46. Quo libello quid de Ciceronis studiis Aristoteleis investigatum sit cum non plane expressum esse videam in Baehr. hist. litt. Latin. ed. 4. III § 358 adn. 7 extr. (rectius dicendum erat: „die lectüre der ethischen schriften stellt in abrede, die der rhetorik schränkt ein —"), quin id defendam facere non possum; cf. eiusdem libr. II § 301 adn. 6 extr., quo loco totius disputationis summa breviter et apte comprehenditur. Lectam enim esse a Tullio philosophi artem quis ausus sit universe negare? at argumentis certe doceri non potest omnes eius partes illi notas fuisse, cumque profecto, si interiore atque excellente eius cognitione imbutus fuisset, hoc significasset, non diligentissime in ea versatus esse potest iudicari.

Credibile est igitur a Cicerone artis Aristoteleae partes aliquot lectas esse, fortasse duce aliquo magistro (et eo philosopho — v. dissertat. p. 14 med., hui. commentat. pt. I p. 1 c. adn. 3), qui designaret res gravissimas, reliqua autem veloci oculo ab eo esse percursa; sic illum universae artis Aristoteleae ingenium cognovisse et systema memoria tenuisse aut ea, quae ad hoc pertinerent, pariterque singula quaedam praecepta excerpsisse (cf. quae hac de re Volkmann. l. l. p. 67 statuit); postea commentarios suos conficientem eum aut his electis singulis usum esse aut, cum scriberet haec, in quibus proxime abest a philosophi verbis (v. dissertat. p. 35—47) iterum ipsam eius rhetoricam inspexisse aut denique quaedam (ex rh. III 8 v. dissert p. 50 med.) ex aliorum libris, in quos essent recepta, deprompsisse.

[3]) Rh. I 3 p. 1358 b 6 cum dicat: *θεωρός ἐστι κρίνων περὶ τῆς δυνάμεως,* hanc vocem non tam ad oratoris vim, quam ad orationem, i. e. rei, de qua agatur, potestatem („den gehalt der rede — auf den gegenstand bezogen") audio revocatam esse a Trendelenburgio, cum postremum a. 1867 hos philosophi libros scholis explicaret: v. locos in Bonit. indic. Aristotel. p. 206 b 15 sqq. prolatos, quibus est illi affinis vocis vis. His confirmari apparet, quae supra p. 1 extr. de genere demonstrativo dicta sunt, cum, si res ita se habeat, etiam in hoc genere de orationum argumento iudicium fiat. cf. Spengel. comment. p. 77 imprimisque p. 208 ad. rh. I 1 p. 1377 b 21 adnotat. extr.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

d. inv. II 156, qui dissensus non ab hoc ipso originem ducere videtur, quod iam in rhet. ad Her. III 3 res aliter instituta est idque ita, ut praeter rem tutam huic simul subiciatur honestum. Sed utrum primum a Cicerone an iam antea in rhetorum scholis utilitati et honestati (*τῷ καλῷ*) in genere deliberativo par sit tributum, diiudicari non potest. Partit. 83 cum utilitati ille subiungat honestatem (ib. 86), propius a Stagiritae sententia abest, idque eo magis, cum ne ab hoc quidem plane omittatur in genere deliberativo *τὸ καλόν*, sed *συμπαραλαμβάνεται* p. 1358 b 24, neque id aliter tamen, nisi ut summum momentum insit in utilitate l. l. v. 33. Postremo top. 91 plane Stagiritae doctrinam probat, sed sitne etiam hoc loco honestas subiecta utilitati, non diiudicatur. In reliquis autem duobus generibus cum philosopho consentit (v. top. 91, de demonstrativo partit. 71).

Tota haec res cum inventa sit ab Aristotele, constat inferiores omnes, qui consentiant cum eo, huius referre praecepta ideoque etiam Cicero illius auctoritatem secutus esse putandus est; sed dubitari non potest, quin sicut totam generum divisionem hanc quoque per magistros acceperit, cum in vulgaris rhetoricae adumbratione d. or. I 141 ea commemoretur: quare ipsius libri Aristotelei vis in hoc non inest.

Restat, ut quaeratur de *εἴδεσι*, quae generibus attribuuntur rh. I 3 p. 1358 b 8 sqq., atque *τῷ συμβουλευτικῷ προτροπὴ καὶ ἀποτροπή, δικανικῷ κατηγορία καὶ ἀπολογία, ἐπιδεικτικῷ ἔπαινος καὶ ψόγος*. — Eadem Ciceronis est sententia d. or. II 35, si explicatur, quod ibi latet. Contra in partit. consentit quidem de genere deliberativo (§ 85) et iudiciali, at non plane de demonstrativo; nam cum huic in illis d. or. libris praeter veras laudationes nihil tribuatur (II 341), partit. 69 his eius fines non expleri dicit nec tamen aliud quidquam diserte addit; in oratore autem (§ 37) praeter veras laudationes ad id refert historias (cf. 207; v. supra p. 17) et „tales suasiones, qualem Isocrates fecerit panegyricum multique alii, reliquasque eas formas, quae absint a forensi contentione," in quibus non omnibus id quod postulet philosophus, *ἔπαινον καὶ ψόγον*, inesse clarum est. Quamquam enim historiae tom. quaedam, vitarum adumbrationes, iure ad rhetoricam refertur (sicut ex laudationibus[1]) illas post Aristotelis memoriam ortas esse constat), tamen a Cicerone, ubi de historia oratori subiciienda agatur, non hanc solam respici apparet d. or. II 55 sqq. imprimis 57 s. f. Generis igitur demonstrativi proprietatem non tam *ἐπαίνῳ καὶ ψόγῳ* contineri, quam specie quadam dictionis constitui existimat, in quo fortasse Theophrastei *περὶ λέξεως* libri vis agnoscenda est; nam illi, cum de sola elocutione ageret, quid hac ex parte differrent genera causarum docere erat propinquum, quo ut Tullius ad universam generis demonstrativi naturam definiendam uteretur, facile fieri poterat. Illud autem, quod apud Aristotelem eius proprium est, laudare et vituperare, omnium generum commune esse significat or. 210 neque ullo alio huius libri loco illius generis proprium id esse dicit. — Hac in re quatenus cum Aristotele consentit Tullius, id iam ante illum constitutum erat in rhetorica: v. Anaximen. rhet. ad Alexandr. c. 2. Sed ut tota Ciceronis de causarum generibus doctrina pendet ex Aristotelis ratione, quamvis hanc non eius ipsius ex libris perceperit, ita ne de hac quidem parte aliter statuendum est, utque dissentiat de generis demonstrativi *εἴδεσιν*, effectum est universa eius, quae de hoc est, sententia, cum nomen quidem eius receperit, re vera autem in artis explicatione nihil ei tribuat.

Quae cum ita sint, in universa de generibus causarum quaestione Ciceronem cum Aristotele non in pluribus consentire apparet, quam in illorum enumeratione, atque hanc etiam ex ipsis illius libris simul cum divisionis ratione videri esse repetitam; in *τέλεσιν* autem leviter tantum eum tetigisse philosophi doctrinam nec ipsam eius artem rhetoricam respicere; de generum vero ambitu et *εἴδεσιν* a Stagiritae ratione longius eum recedere in singulis libris

[1]) v. Lipsii commentat. de veteribus vitarum expositionibus in progr. gymn. Luccav. 1863 ed. p. 14 sqq.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

suis, ut, quae eius sit in oratore sententia, haec ob generis demonstrativi vagam incertamque definitionem ad consensum cum Aristotelea revocari iam non possit.

§ 13.

Partes rhetoricae et quasi membra quattuor esse statuit Aristoteles inventionem, elocutionem, dispositionem, actionem, quae in priorum rhetorum artibus nondum separatae erant[1]); imprimis huius extremae ab iis omnino non rationem habitam esse ipse philosophus dicit rh. III 1. Eius autem, quod quarto loco ab inferioribus inseritur, memoriae, nec a Stagirita nec a prioribus mentio fit, ut consulto a philosopho mitti ea dici non possit: sed eius ex ratione hanc, quamvis esset necessaria, ne potuisse quidem admitti idque non tam quod naturae esset (exstitit enim ars memoriae et originem duxit ab Hippia[2]) Eleo sophista), quam quod minime rhetoricae esset propria, iure conceditur.

Cicero quinque nominat et persequitur partes d. or. I 64 (v. adn. Piderit.) 187 extr. Ib. I 18, 113 sq. 128 quod dispositionem omittit, nemo mirabitur, cum etiam ab Aristotele non semel ea elocutionis notione ipsa comprehendatur, memoriam vero quod Antonius I 213 praeterit, (nisi forte in lepore eius nomen latet, cf. I 18, quamquam huius etiam I 159 mentionem facit), nullius id ad hanc quaestionem esse momenti ex tota huius loci explicatione II 350—360 intellegitur. Easdem quinque partes illas statuit Tullius partit. 3 s. f. In oratore autem quattuor exhibentur § 43, cum quo modo orator dicat, id et ad elocutionem et ad actionem spectare doceatur § 54 sqq.; memoria autem ne hic quidem exclusa est a rhetorica, sed in hac explicanda se eam neglecturum esse dicit, quod „communis sit multarum artium.“ Nec aliter res se habet in Bruto; quinque enim illa respiciuntur § 25, 139—142, 227. § 303 elocutio memoria inventio actio percensentur; dispositio omittitur sicut eo loco d. or. librorum, de quo modo dictum est, quodque 188 nisi sententiarum, verborum, actionis ratio non habetur, ex illius loci natura facile explicatur; permultis aliis locis, ut 202, 221, 229, 174 quod non haec omnia respiciuntur, eo fit, quod omnino non diserte commemorantur ea, in quibus oratores non excellebant aut transeuntes modum aut parum praestantes; dispositionis in his raro mentionem fieri posse manifestum est. — Hac igitur

---

1) Doctrinae Aristoteleae quae fuerint in priorum rhetorum artibus initia quidque ab illa differant eorum rationes quaerere alius est loci. Comparatis illorum reliquiis cum philosophi libris — et pluribus, quam nos nunc demonstrare possimus, in praeceptis, quorum auctores a Stagirita plerumque non nominari constat, eos consensisse veri simile fit, — et permultas res singulas, subtiliores potissimum observationes (cf. Kayser. commentat. critic. de Spengel. rhet. Aristotel. ed. in. annal. philol. vol. CI Lips. 1870 p. 3), praeterea universum systema philosophi esse propria. Quae res quid valeat ad quaestionem hic propositam paucis significatum est dissertat. p. 5 sq. Illorum cuiusquam ipsas a se inspectas esse artes Tullius non dicit; veri simile autem est usum eum esse libris Isocratis (cf. ep. ad Lentul. I 9, 23) et Naucratis arte (v. d. or. III 173 cf. P. Sanneg. dissertat. de schola Isocratea p. 34 in.). De Theodecte certum non potest ferri iudicium; sed huius praecepta ad eum pervenisse doceri potest. Anaximenis rhet. ad Alexandr. ei notam fuisse nullum est, quo probetur, indicium. Ephorus quid docuerit de numero commemorat, ipsa eius non amplectitur praecepta: fortasse haec sicut alia eiusdem generis quam ex ipsa huius rhetoris arte potius ex numerorum aliqua explicatione repetita erant (cf. supra p. 19 adn. 2 extr.). Quibus promoverint dicendi artem se nosse significat de Protagora, Leontino Gorgia, Thrasymacho, Theodoro, quae probabile est eum Aristotelis ex *συναγωγῇ τεχνῶν* didicisse (cf. pt. I p. 23 extr.); de caeteris ne hoc quidem tradidit, sed rhetores fuisse dicit Coracem et Tisiam, Prodicum, Hippiam, Antiphontem, Alcidamantem. Ex iis, quos Spengel. in *συναγωγῇ τεχνῶν* docuit scripsisse artes, harum non facta mentione nominantur Lysias, Critias, Theramenes, Hyperides, Lycurgus, Aeschines: Pamphilus, qui notatur d. or. III 81, inferioris aetatis est rhetor (cf. Quintilian. III 6, 34), falsoque ille locus a P. Victorio (ad Arist. rhet. II 23 p. 1400 a 5) et a Knebel. (adnotat. ad art. rhet. interpretat. p. 198) refertur ad eum artis oratoriae magistrum, cuius *τέχνη* commemoratur a Stagirita l. l. Philisto historico, cuius nomen est d. or. II 57 eiusdemque 94, artem, quam ei tribuerunt Suidas et Eudocia, abiudicandam esse constat, ut eius hic omnino non habenda sit ratio.

2) v. Morgenstern. commentat. de veterum arte mnemonica. Dorpat. 1835 p. 8.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

in re minime cum Aristotele consentit Tullius, sed eam hic amplectitur doctrinam, quam omnibus probatam esse illa aetate discimus ex rhet. ad Her. I 3 coll. d. inv. I 9 d. or. I 142 II 79; ac ne est quidem indicium, quo confirmetur eum a philosopho se dissentire scivisse; neque id mirum videbitur, si non totam diligenter perlegerat rhetoricam, cum in hac non sit iusta partium enumeratio; quae enim rh. III 1 disputantur, haec non obstant, ne etiam plures esse possint partes.

Praeterea hoc ipso in genere alia ex parte dissensiones reperiuntur, quae minoris momenti sunt; primas enim in ipsa artis explicatione Aristoteles tribuit inventioni, in qua rhetoricae proprium inesse existimat. Quod cum Cicero revocet ad elocutionem, in hac plurimum versatur. Dispositionis adumbrationem Tullius ponit ante elocutionem raroque hunc ordinem immutat nec sine causa: hanc Spengel. in Mus. Rhen. XVIII 501 adn. 23 med. significavit. Dispositioni paucissima attribuit, sicut constitutionum doctrinam, cuius initia huic parti adnumerat Stagirita, ille ad inventionem refert, in quo iam priores dicendi magistros ei exemplo fuisse ex rhet. ad Her. lib. III (coll. Cic. d. inv. libb.) colligitur. —

Inventio autem, cuius partes a philosopho nondum *εὑρέσεως* nomine comprehenduntur, versatur (rh. I 2 p. 1355 b 35) in *πίστεσιν ἐντέχνοις* et *ἀτέχνοις*, quae partitio a Cicerone ad *τὰς διὰ λόγου πίστεις* solas refertur, quod Aristoteli genus est *πίστεων ἐντέχνων*. Hae enim ex *πίστ. διὰ λόγου, πάθεσιν, ἤθει* (vocaverunt *τὸ λογικόν, τὸ παθητικόν, τὸ ἠθικόν*) constare dicuntur rh. I 2 p. 1356 a 2 sqq. Quae disiunctio cum contemnatur ab iis, quos novimus, dicendi magistris, qui ante Ciceronis aetatem fuerunt, ut in rhet. ad Her, d. inv, d. or. I 142 sqq. II 79 sq. fit, cf. d. or. I 87 med., quamquam hoc ipso loco falsa *τῷ ἤθει* tribuitur vis, Cicero in illis d. or. libris haec tria non modo commemorat (cf. II 175 sq., 181) verbis significata II 115 probandi conciliandi movendi, II 121, 128 conciliandi docendi movendi, 310 docendi conciliandi permovendi, sed etiam ab Antonio tractantur mores II 182—184, animi permotiones 185 sqq. His cum a vulgari rhetorica differat Ciceronis ratio cumque nullum sit indicium, quo eum ab alio aliquo (quoniam credibile est hanc philosophi sententiam iam antea quibusdam probatam esse, imprimis proxima post Stagiritam aetate) id deprompsisse probabile fiat, in hoc ipsius doctrinae Aristoteleae vis agnoscenda videtur; sed nihil est, cur ipsa harum rerum tractatio ab eo respecta esse iudicetur, cum quae earum adumbratio est rh. I 2 in. sufficiat. — In partit. (5, 46) duo commemorantur, *τὸ λογικόν* et *τὸ παθητικόν*, in quo rationis philosophi vis inest, quamvis non tam late pateat, quam in illis d. or. libris: sed ut partitionum omnino media quaedam inter vulgarem rhetoricam et artem ad philosophi rationes compositam condicio est, non tantum huic disiunctioni tribuitur, ut primaria sit totius inventionis; atque etiam minus haec vis datur *τῷ ἠθικῷ*, immo § 32 inter permulta alia, quae ad narrationis probabilitatem spectent, commemoratur et § 22 plane subiungitur elocutioni, cum significatis amabilibus oratoris moribus suavem fieri orationem dicat: et hoc iam aliqua ex parte eius doctrinae initia continentur, quae profertur in oratore, Bruto libelloque, qui est de optimo genere oratorum; ibi enim (or. 69 Br. 185, 276 d. opt. gen. 3, 16) tria illa ita enumerantur, ut *ἠθικῷ* non tam conciliandi quam delectandi tribuatur officium. Iure autem a nobis delectandi vim cum *ἠθικῷ* coniungi confirmatur locis d. or. II 184, ubi ut suaviter et ex sensu hoc tractetur, postulat Cicero, et or. 128, quo loco illud dicit come, iucundum, ad benevolentiam conciliandam paratum. Quod si delectandi officio idem, quod philosophus *τῷ ἤθει*, significare voluit Tullius, neglexit hanc notionem minime ab Aristotele ad solam delectationem revocari et hoc ab eo differt. Delectatio autem praeter mores oratione exprimendos imprimis suavi efficitur elocutione; quare qui solam *λέξιν* arte explicabat, illam officii oratorii in tres partes docendi, delectandi, movendi divisionem facile potuit invenire, ut veri simile sit hanc disiunctionem non ab ipso inventam esse Tullio, sed ab eo, cum per se accommodata esset elocutioni potissimum, ad universam translatam esse rhetoricam.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Dividuntur, ut modo diximus, a Cicerone *πίστεις διὰ λόγου* in *ἐντέχνους* et *ἀτέχνους* partit. 5 d. or. II 116, 163 top. 8, quae divisio cum ante Ciceronis aetatem certe in vulgari rhetorica non fuisse videatur, ut ex rhet. ad Her., de inv. libb. et ex illius adumbratione, quae est d. or. I 140 sqq., intellegitur, in hac is ad philosophi doctrinam rediit, neque est, cur non artis Aristoteleae loco I 2 p. 1355 b 35 illa divisio effecta esse putetur.[1]) Quod ita rem confundit, ut, quae *πίστεων* universarum divisio sit apud Aristotelem (l. l. coll. p. 1356 a 1), eam *πίστεων διὰ λόγου* esse velit, huic sententiae non obstat. —

Ipsarum autem *πίστεων ἀτέχνων*, ut has absolvamus, enumerationem philosophi (v. rh. I 15) non amplectitur d. or. II 116 partit. 6, 46—51, top. 73 sqq, verum permultas addit alias, quas ipse colligere poterat, ut in hoc genere rerum non alius rhetoris integram doctrinam afferre iudicandus sit.

Πίστεις διὰ λόγου in duo genera dividit Stagirita, *ἐνθυμήματα* et *παραδείγματα*.[2]) Illorum *προτάσεις* partim ex singulis iis repetuntur disciplinis, ex quibus pendet rhetorica (v. supra p. 13); vocat *ἰδίας* sive *εἴδη* et explicat rh. I 4—14; partim in definita nulla versantur materia et dicuntur *προτάσεις κοιναί* sive *τόποι*. *Τόπων* duo genera sunt, alterum eorum, quae ad singula potissimum quaedam genera pertinent causarum rh. II 19, quamvis a reliquis non sint aliena II 18 p. 1392 a 5, alterum horum, quae eiusdem ad haec omnia sunt momenti (II 23—25). A Cicerone de argumentorum natura non agitur; neque enim quae enthymematum nec quae exemplorum sit vis atque usus in orationibus ullo librorum loco dicitur: in libris, qui sunt de oratore, cum homines vere Romani abhorrentes ab artibus levioribus disputent, neminem offendet, quod hae, quae ad logicam pertinent, quaestiones negleguntur; partit. 7 argumentorum illorum ratio omnino non habetur, sed *πίστεις διὰ λόγου ἐντέχνους* ex locorum, unde repetantur, qualitate dividuntur; orator vero paene totus in sola elocutioue versatur. — Prius *προτάσεων τῶν ἐνθυμημάτων* genus Aristoteleum, quod *εἴδεσι* continetur, a Tullio partit. 70 sqq. percensentur, universae autem rei aliam divisionem esse apparet; nam cum philosophus singula enumeret, quae observaverat, Ciceroni certa quaedam disciplinae moralis obversatur formula: videtur esse Stoicorum, ut, si qua consentiant praecepta, in his tamen Aristotelea non insit vis. D. or. II 340 sqq. cum de generibus deliberativo et demonstrativo strictim agat, id, quo maxime eorum proprium continetur, spectans respicit ille quidem haec *εἴδη*, sed iusta eorum non est explicatio minimeque in Aristotelea versatur doctrina. — Alterius *προτάσεων* generis, quod est *κοινῶν προτάσ.*, ea species, quae tractatur a Stagirita

---

1) Aristoteleae divisioni similem esse apparet eam, quae in Anaximenis rhet. ad Alexandr. c. 8 (p. 1418 a 16 Bekk.) explicatur, et si diligentius comparaveris dividendi rationem, et si respexeris ab utroque scriptore ad genus iudiciale illam referri (v. rh. I 15 in.): differentia igitur imprimis posita est in nomine, cum *ἐντέχνους πίστεις* philosophus, alter *ἐπιθέτους* dicat. Quare Tullius, cum et in nomine consentiat cum Stagirita, nec omnino doceri possit ei libellum illum Anaximenis notum fuisse, ne ab eo quidem, qui ante philosophum eandem fere divisionem fecerat, hanc repetivisse videtur.

2) Ratio Aristotelea haec est:

πίστεις
ἔντεχνοι *ἄτεχνοι*
διὰ λόγου πάθη ἦθος
ἐνθύμημα *παράδειγμα*
ἐνθυμημάτ. προτάσεις
εἴδη *κοιναί*
omnib. caus. gener. rh. II 23—25. singul. praecip. accommodatae II 19.

A Cicerone res hoc modo instituta est:

πίστεις
διὰ λόγου πάθη ἦθος
ἐντεχνοι *ἄτεχνοι*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

rh. II 19, non plane a Tullio explicatur, quamquam singulorum eorum, quae ad illam pertinent, mentio fit, ut de genere deliberativo pauca sunt partit. 83 med., de demonstrativo top. 85 med. (v. Aristot. rh. II 18 p. 1392 a 5 coll. 1393 a 10 et 1359 a 24).

Ciceronianae igitur de argumentorum inventione doctrinae cum Aristotelea consensus hoc continetur, quod argumenta dividuntur in artificialia et inartificialia. In priorum artibus, velut rhet. ad Her. coll. d. inv. libb. et d. or. I 140 sqq. ne haec quidem hoc modo tractantur, sed τόπων doctrina distribuitur constitutionum rationi; a qua cum in libris d. or. illa ita separetur, ut haec altera paene tota neglegatur, in hoc inesse doctrinae Aristoleae vis videtur. Partitionum autem, ut etiam aliis in generibus rerum (v. p. 22), quasi media inter vulgarem et Aristoteleam est ratio, cum Cicero in hoc libello praecepta quaedam philosophi adsumat, nec vero prae iis neglegat doctrinam a magistris sibi traditam.

Alterum genus ἐντέχνων πίστεων, τὸ παθητικόν, a Stagirita non ad artis formulam dividitur, sed singulae enumerantur animi affectiones; quas easdem cum nominet Cicero, in hoc, cum eaedem sint a Stoicis explicatae, quarum disciplinam moralem illi notam fuisse constat, philosophi auctoritatem nemo agnoscet. Nec magis in ἠθικῷ, praesertim cum hoc minime ex philosophi sententia definiatur, id quod cohaeret cum toto eius libri, in quo potissimum illud ἠθικόν explicatur, proposito: nam cum Aristoteles id non respiciat nisi quoad in ipsa insit oratione, Cicero d. or. II 182 sqq. vitam quoque honestam postulat, quam summi esse momenti cum minime neget philosophus, ab arte tamen oratoria excludendam esse statuit. Contra in oratore nisi quoad oratione id exprimatur, a Tullio ἤθους ratio non habetur; ad singula autem ne in hoc quidem libro illud, quem ad modum Stagirita, persequitur[1]), ut consensus reperiri non possit. —

Elocutionem Aristoteles non arte conclusam explicat, sed singula quaedam conectit praecepta ex quibus rationem, si quis voluerit, potuerit exquirere. Ciceronis autem temporibus haec pars rhetoricae adeo aucta erat atque exculta, ut nemo possit suspicari illum ad simplicem et imperfectam quamvis ingeniosam rediisse Stagiritae doctrinam.

Aliter res se habet in dispositione. Rhetores antiquissimi cum permultas fecissent partes orationum, id quod philosophus reprehendit, Isocrates[2]) pariterque Theodectes non amplius quattuor persecuti sunt; postea (si quidem Phaselita a. 338 a. Chr. mortuus, Anaximenis rhet. ad Alexandr. 340—330 orta est) in hoc libello quinque sunt (v. c. 30 sqq.), quas Aristoteles iterum ad quattuor revocavit, rh. III 13 sqq. exordium, narrationem, confirmationem, cuius pars est reprehensio, epilogum. Eandem Cicero proponit divisionem d. or. II 307, in quo, cum antea (v. rhet. ad Her. I 4 d. inv. I 19 extr. d. or. I 143 II 80) hae fuissent sex partes exordium[3]), narratio, partitio, confirmatio, refutatio, peroratio, ad Stagiritae doctrinam ille rediit, nec est cur id non ipsius artis Aristoteleae III 13 sqq. veloci lectione effectum esse statuamus. Idem valet ad partit. 27 or. 122 top. 97 sq.

Quae cum ita sint, in ipso systemate oratorio Cicero a vulgaris rhetoricae divisionibus in plerisque ad simpliciorem[4]) Aristotelis doctrinam rediit, ut consentiat in πίστεων universarum et in ἐντέχνων generibus et in partibus orationum, cum dissentiat hoc in genere imprimis de partibus rhetoricae.

---

1) Aliqua ex parte τὸ ἠθικόν levioris ad Romanorum rhetoricam fuisse momenti ex ea re colligi potest, quae pt. I p. 2 adn. 1 allata est; v. quae in Philol. XVIII 378 in. ex Eggeri commentat. p. 289 exhibentur.

2) v. Blass. d. eloquent. Attic. II 103.

3) Prooemii et epilogi nomine ubi Tullius utatur docet Bernhardt. in commentat. quae de Cicerone Graecae philosophiae interprete est in libello scholastic. gymn. Frid. Guil. Berolin. 1865 ed., p. 33 med.

4) Hac re evitatum esse a Cicerone priorum rhetorum exile dividendi studium iam pt. I p. 6 med. paucis significatum est.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Perlustratis igitur his omnibus plerumque consentire videmus cum Aristotele Ciceronem: dissentit (v. pt. I p. 5 II 21) imprimis ab eo de rhetoricae proprietate (v. § 4), quo fit, ut etiam aliis quibusdam in rebus, quae levioris sint momenti, ab illo discrepet (v. pt. II p. 6 med. 12 in. 13 in. 20 med.). — Sed ne in illis quidem nisi de capitibus rerum plerumque idem atque Stagirita existimat Tullius, in singulis saepissime eos dissentire apparet: cuius rei illustre exemplum est id, quod supra p. 12 in. explicatum est.

Ac ne in consensionibus quidem omnibus illis agnoscendam esse vim doctrinae Aristoteleae plerumque apparuit: esse agnoscendam vidimus pt. I p. 23 II 19 s. f. 22, 23. Aliter statuendum erat pt. I p. 2, 4, 6, (7) 8, 16 in. 17 (18) 20 II p. 4 in. (7) 12, 16, 17, 19 med. 20 med. 20 s. f.; at certe se cum philosopho consentire Tullium scivisse vidimus pt. I p. 18 (II 19).

Ipsius autem artis lectione consensus eorum, quae ad universam artem pertinent, maximam partem non effectus est, nisi forte certo id confirmatur testimonio: v. pt. I p. (5) 18 (II p. 11). — Illa igitur lectione hoc in genere id potissimum videtur esse effectum, ut praeter vulgarium illius aetatis rhetorum[1]) consuetudinem omnino explicaret illas quaestiones universas: quo leviorem potius quam diligentem artis Aristoteleae lectionem significari manifestum est. — Sed quae de causarum generibus et de partibus rhetoricae nec minus de partitione ipsarum orationum, de systematis igitur divisione, praecepta congruunt in utriusque ratione, haec, nisi certo scimus eandem iam priorum rhetorum fuisse sententiam (v. supra p. 20 de *τέλεσιν* et *εἴδεσιν*), ad ipsius artis Aristoteleae auctoritatem revocanda esse apparuit (v. p. 19 de divisionis ratione et de *χρόνοις* generum causarum, 22, 23): his autem nisi capitum quorundam rhetoricae (I 1—3 III 1) lectio diligentior non demonstratur.[2])

Restat, ut singula comparentur utriusque scriptoris praecepta: ex his quae similia sunt inter se collata sunt in dissertat. p. 52—58, nec quae ipsius philosophi ex arte originem ducere videantur, nisi de numeris (ex rh. III 8: sed v. p. 19 adn. 2 coll. dissert. p. 36 sqq. 47) inveniuntur, id quod, si forte quando fuerit data occasio, singulis facile poterit demonstrari. Quare, ut iam finem faciam disputandi, ea, quae instituisset Aristoteles, Ciceronem quidem minime persecutum esse aut perfecisse, neque ad inferiores dicendi magistros usque ad eius certe aetatem ex iis, quibus auxerit rhetoricam philosophus, omnino quidquam valuisse praeter artis formulam iure dici videtur. De posteris quid iudicandum sit leviter in transitu attactum est dissertationis p. 16: diligentius id perquirere alius est loci.

---

[1]) Ad hoc referendum esse videri locum ep. ad fam. I 9, 23 iam dissertat. p. 51 indicatum est. In his d. or. libris philosophi exemplum se sequi dicit eo, quod ad universas illas quaestiones accessit ac philosophi systema amplexus est; singula eius praecepta sunt II 32 ex rh. I 1 et III 183 ex rh. III 8. Partitionum, cum his omittantur quaedam disquisitiones antea in rhetoricam receptae (de tribus *πίστεων* generibus), aliae, de constitutionum doctrina, pertractentur, universa ratio iam non est Aristotelea; singula autem in his inveniuntur philosophi praecepta, ac primum § 10 locus rh. I 3 p. 1358 b 3. Oratoris systema quidem est Stagiritae, sed summum tribuitur elocutioni, cuius explicationem Theophrasteam Tullio esse obversatam veri simile est; primum autem hoc in libro ex arte Aristotelea I 1 in. de rhetoricae et dialecticae ratione sententia et philosophi de numero oratorio (ex rh. III 8) doctrina profertur. Hos duos igitur ad libros scribendos interius in Stagiritae libris studium positum esse doceri non potest. In Bruto et in topicis omnino nullus invenitur, qui ex philosophi arte receptus esse videatur locus: quare quae in his insunt Aristotelea, iam antea Tullio nota fuisse statuendum fuerit. Diligentissime igitur, si quidem omnino diligenter, in philosophi arte versatus is esse putandus est ante componendos d. or. libros; ex hac quae postea recepit nova, non ad universam pertinent rhetoricam.

[2]) Cum p. 22 extr. cf. Dzialas. adn. in annal. philol. vol. CVII Lips. 1873 p. 404.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Index quaestionum.

* Significatur doctrinae Ciceronianae cum Aristotelea consensus; ** doctrinae Ciceronianae origo Aristotelea; *** consensus, qui philosophi librorum lectione effectus est. Haec nisi aliqua ex parte non valere indicant eadem signa uncis circumdata.

Pars I.

§ 1. De rhetoricae ratione morali . . . . . Pag. 1.
De honestate Aristotelis et Ciceronis doctrinae explicantur* p. 2. De veritate pariter* p. 3. Qua ratione hae sint tuendae (πίστεσιν) p. 4 med.

§ 2. De rhetoricae principio formali . . . . . p. 5.
De praeceptorum rationibus addendis Aristotelis et Ciceronis sententiae(***) p. 5. Certa quaedam disciplinae formula composita est* p. 6. Quatenus usus respiciatur ab Aristotele et Cicerone(*) p. 6.

§ 3. De definitionis rhetoricae genere proximo . . . . . p. 8.
Aristotelea de δυνάμεως notione doctrina p. 9. Quid differat haec ab ἐπιστήμῃ p. 10. Quid intercedat inter δύναμιν et artium poeticarum practicarumque disiunctionem p. 10. De rebus, in quibus versetur δύναμις p. 11. Quid intercedat inter δυνάμεως et τέχνης, quid inter δυνάμεως et ἕξεως notiones p. 12. Quid δυνάμεως vis naturae valeat ad rhetoricae definitionem p. 13 — Ciceronis de facultatis notione doctrina(*) p. 15. (Diiunxeritne is artes poeticas et practicas p. 15 adn. 3). De artis vi* p. 16. Valueritne ad Tullium philosophi de arte rhetorica iudicium*** p. 18. De scientiae potestate* p. 18. (Quid sit rhetorica p. 19 adn.).

Cuius ad rhetoricam momenti naturam artem exercitationem esse statuant Aristoteles et Cicero(*) p. 19.

§ 4. De artis oratoriae proprietate . . . . . p. 20.

§ 5. De rhetoricae fine et officio*** . . . . . p. 22.

Pars II.

§ 6. Qualis sit rhetoricae materia . . . . . p. 1.
Quae sit Aristotelis sententia p. 1. De rebus veris p. 2. (De constitutionum doctrinae initiis Anaximeneis et Aristoteleis p. 2. adn. 1.) — Quae sit Ciceronis ratio* p. 3.

§ 7. Quibus in rebus versetur rhetorica . . . . . p. 4.
De Aristotelis doctrina p. 4. Quid iudicet philosophus de θέσει p. 5. — De Tullii sententia* p. 5. De θέσει(*) p. 6.

§ 8. Quid inter rhetoricam et dialecticam intercedat . . . . . p. 7.
Aristotelis examinantur sententiae p. 7 (De voce ἀντιστρόφῳ ib.) Quibus rebus contineatur similitudo p. 9, quibus differentia p. 10 — Cicero quid dialecticam esse statuat(*) p. 11. De utriusque disciplinae ratione iudicium(***) p. 12.

§ 9. Quid intersit inter rhetoricam et fraudulentam eius speciem . . . . . p. 12.

§ 10. Quibus ex disciplinis pendeat rhetorica . . . . . p. 13.
Aristotelis sententiae de politicae, disciplinae moralis, historiae, iuris, psychologiae, logicae ratione p. 13. Quatenus in iis versandum sit oratori p. 14 — Ciceronis de politicae, ethicae, rei militaris scientiae, historiae, terrarum descriptionis, iuris, psychologiae, physicae, dialecticae momento doctrina* p. 14. Quatenus in his versandum sit oratori* p. 15.

§ 11. De rhetoricae utilitate(*) . . . . . p. 16.

§ 12. De causarum generibus . . . . . p. 17.
Quae sit Stagiritae, quae Tullii doctrina** p. 17. De ratione dividendi*** p. 17. Statueritne hic genus esse historicum p. 17. Sitne in huius doctrina vis agnoscenda Aristotelea: de generibus demonstrativo et deliberativo** p. 18. Comparantur Ciceronis et Aristotelis sententiae de rerum, quae singulis causarum generibus attribuantur, temporibus*** p. 19. De τέλεσιν** p. 19. (Quam diligenter philosophi libros rhetoricos legisse videatur Tullius p. 19 adn. 2). De εἴδεσιν(**) p. 20.

§. 13. De partibus rhetoricae . . . . . p. 21.
Comparantur Aristotelis et Tullii doctrinae p. 21. (Quoad antiquissimorum rhetorum rationes noverit Cicero p. 21 adn. 1). De inventionis partibus, quas esse statuit uterque scriptor(***) p. 22. De elocutione p. 24. De dispositione (***?) p. 24. —

Summa quaestionum facta: quibus in rebus consentiat cum Stagirita Tullius, sitne Aristotelea horum praeceptorum agnoscenda origo, videaturne consensus ille ad ipsos philosophi libros esse revocandus. Cuius ad iudicanda Ciceronis studia Aristotelea momenti sint singuli eius libri rhetorici. . . . . p. 25.

Corrig. pt. I p. 13 v. 24 certe. p. 17 adn. 1860. p. 22 v. 30 in. script. et adnotat. numer. pt. II p. 8 v. 33 τῆς.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf